Terminus à potentia cognoſcitiva productus in ſe ipſa. 171.

Terminus intrinſecus intellectionis. 220.

Ver-

Verbum mentis, quo intellectus ſibimet ipſi loquitur, & manifeſtat objectum cognitum. 220.

Impreſſa ſeu *qua*, id, quod ab objecto profunditur. 173.

Quæ ab objecto imprimitur potentiæ cognoſcitivæ, & ipſam aſſimilans objecto, reddit capacem, ut eliciat actum cognitionis. 171.

Quæ confortat intellectum, & ipſum complet in ratione principii proximi ad intelligendum. 220.

Quæ, determinando indifferentiam potentiæ cognoſcitivæ, concurrit cũ ipſa effectivè ad producendam cognitionem. 173.

Quæ, in determinanda potentia per ſui formalem communicationem, ſe habet ad inſtar ſigilli ſeu imaginis cujuſdam, vi cujus dicitur potentia aſſimilari objecto. 173 174.

Qualitas activa vicaria objecti, per quam potentia cognoſcitiva ultimò completur, & determinatur ad eliciendum proprium actum. 173.

Quaſi ſemen objecti ad potentiam cognoſcitivam tranſmiſſum ad cognitionem formandam. 171

Species expreſſa, non cognita in ſe, quæ iuvat potentiam cognoſciti-

vam

vam ad cognoſcendum. 171.
Intelligibilis, quæ formatur ab intellectu agente, & per quam repræſentatur objectum intelligibile ſecundùm ſuam quidditatem, & in abſtracto. 207.
Quæ ordinata eſt ad cognitionem. 206.
Quæ, per intellectum agentem converſum ad phantaſmata in phantaſia, elicitur ex eis, atque formatur. 207.
Quæ producitur ab intellectu agente ex phantaſmatibus in phantaſia. 206. 207.
Quid ſpirituale productum à virtute immateriali, qualis eſt intellectus agens. 209.
Materialis, quæ, producta ab objecto, eſt per ſe improportionata intellectui. 206.
Intentionalis, quæ ab objecto corporeo producta, eſt eſſentialiter diverſa à reliquis qualitatibus ipſius objecti. 175.
Quæ ad cognoſcendum requiritur. 170.
Similitudo quædam repræſentativa corporum, impreſſa potentiæ ſenſitivæ. 203.
Vt

Vt ab objecto materiali producta, materialis eſt; tamen dicitur immaterialis, tùm propter maximam ſui ſubtilitatem, tùm quia potentiæ, in qua recipitur, confert aliquam vim cognoſcendi. 174.

Objectiva, ſive *in qua*; ſpecies expreſſa, in qua cognita cognoſcitur objectum. 171.

Intellectus

Potentia ſpiritualis cognoſcitiva, non merè paſſiva, ſed etiam activa. 170.

Angelicus, potens cognoſcere omnia intelligibilia ſibi proportionata. 242. 243.

Quia eſt in ſupremo gradu immaterialitatis, cognoſcit res perfecto modo, & ut ſunt in ſe. 175.

Superior eſt humano, & magis vigoroſus, & proportionatus ad naturalia cognoſcenda. 245. 246.

Humanus, abſolutè regulativus & activus voluntatis adæquatè. 212.

Cognoſcit res materiales & ſpirituales ſingulares, tàm ſingulari quàm unvierſali modo, dependenter à phantaſmatibus. 174. 175.

Continet radicaliter, cauſaliter, & perfectiori modo libertatem volun-

luntatis, quàm ipſa voluntas. 213.
Cuius objectum formale per ſe & primò eſt verum univerſale. 219.
Eſt quodammodò omnia. 210.
Informatus ſpecie intelligibili objecti, fit intentionaliter ipſum objectum. 217.
Ipſa anima rationalis. 204.
Ita imperat voluntati, ut hujus actus nequeat eſſe bonus, niſi recto rationis ſeu intellectus imperio conformetur. 213.
Movetur à voluntate, quoad aliquos actus, non quoad omnes. 212.
Nequit directè cognoſcere materialia. 218. 219.
Non eſt actus materiæ & corporis. 209.
Nuncupatur ratio, quatenus ratiocinatione utens, aliud ex alio per diſcurſum elicit. 214.
Potentia, ad quam ſpectat, ratiocinatione, notitiam rei inquirere, & in rei notitia quieſcere. 214.
Potentia cognoſcitiva, quæ habet, pro objecto adæquato, verum ut ſic. 220.
Potentia cognoſcitiva veri in tota ſua univerſalitate. 220.
Potentia nobilior voluntate. 213.
Po-

Potentia purè aſſimilativa & effectiva ſimilitudinum & imaginum formalium quorumlibet objectorũ. 218.

Proximum & immediatum principium intellectionis. 204.

Quia ſpiritualis eſt, utitur ſimpliciter immateriali. 174.

Agens, cauſa principalis ad producendas ſpecies intelligibiles. 209.

Cum reducit ad actum, intelligendo, ipſum intellectum poſſibilem. 214.

Habet modum cognoſcendi abſtractivum, ſeu univerſalem. 207.

Intellectus in potentia objectum intelligibile ut intentionaliter fiat actu, per ſpeciem intelligibilem, ad hoc ut illud intelligat. 205. 208.

Potentia ſeu facultas activa proportionata potentiæ paſſivæ intellectus. 205. 206.

Virtus immaterialis animæ rationalis producens ſpecies intelligibiles. 209.

Vtitur phantaſmatibus in phantaſia, tanquam inſtrumento, ad intelligendum. 208.

Poſſibilis, comprincipium aſſimilativum. 210.

In quo recipiuntur ſpecies intelligibiles. 208.

Intellectus cum tantummodò poteſt intelligere. 214.
Potentia paſſiva naturalis correſpondens intellectui agenti. 205.
Qui, acceptis ſpeciebus intelligibilibus, elicit cognitionem. 208.
Receptivum ſpecierum intelligibilium ab intellectu agente formatarum. 205.
In habitu, potentia intellectiva, quatenus eſt prædita ſcientia, ſed ea nondum utitur. 214.

Intellectualitas

Continet in ſe vaſtitatem quandam eſſendi quodammodò interminatam. 211.
Poteſt omnia, intelligendo, intentionaliter fieri. 211.

Intelligere ſeu *Intellectio*

Actio immanens ab ipſo intellectu proficiſcens tanquam à potentia vitali activa. 216.
Actio intelligendi. 170.
Actio quædam immanens, qua verum omne cognoſcimus. 204.
Animæ eſt formaliter independens à corpore. 246.
Attingit plurima, abſtrahendo à materia. 181.

Diſ-

Diſcernit ſpiritualia à corporeis. 181.
Eſt ab intrinſeco, & ab ipſo intelligente. 211.
Eſt quid diſtinctũ ab intellectu. 211.
Eſt quodãmodò pati & moveri. 216.
Formatur ex concurſu intellectus & ſpeciei intelligibilis. 217.
Id, per quod abſtrahuntur objecta in ſe à parte rei, individualia & materialia, ab omnibus conditionibus individualibus & materialibus; ita ut exiſtant in intellectu univerſaliter ac omninò immaterialiter. 209. 210.
Operatio humana, prorſus immaterialis, ſpiritualis, & incorporea. 181. 196. 209.
Qua intellectus actu ſuum objectum attingit. 220.
Verſatur univerſaliter circa omne ens. 181.
Vſus ſpecierum, quæ ſunt in humano intellectu. 243.
Cauſaliter, paſſio cauſata à quadam intellectus paſſione antecedente 217.
Concomitanter, licet ſit actio materialiter, eſt quædam paſſio. 216.

Intellectionis perfectio

Cauſatur ex perfecta efficacia intellectus ad intelligentiam, ex perfe-

cta

cta conformitate ſpeciei intelligibilis cum objecto repræſentato per illam., & ex perfecta coniunctione ſpeciei intelligibilis cum intellectu. 217. 218.

Intelligentia

Lato modo, potentia intellectiva ut actu intelligens. 214.

Propriè & ſtrictè, actus, quo intellectus intelligit. 214.

Actio

Oritur immediatè ex potentia. 197.

Tendentia ad aliquem terminum producendum. 170.

Formæ, tribuitur habenti formam & potentiam. 197.

Vitalis, quæ procedit ab intrinſeco. 222.

Conceptus

Mentis, terminus in intellectu à potentia cognoſcitiva productus. 171.

Verbum

Mentis, ſpecies expreſſa, per quam intellectus ſibimet ipſi loquitur, & manifeſtat objectum cognitum. 220.

Terminus à potentia cognoſcitiva productus in intellectu. 171.

Oris, per quod manifeſtamus conceptus mentis. 220.

Phan-

Phantaſma, ſeu *Imago*
Cauſa inſtrumentalis ad producendas ſpecies intelligibiles. 209.
Objectum repræſentatum in phantaſia minùs clarè, & immixtum conditionibus individuantibus. 207.
Repræſentativum objecti ut ſingularis & individui, productum in phantaſia. 207.
Terminus à potentia cognoſcitiva productus in imaginatione. 171.
Senſatio
Fit per ſpecies intentionales. 175.
Voluntas
Eſſẽtialiter appetitus rationalis. 212
Operatur per actum rationis prævium. 212.
Humana, ad bonum in communi naturaliter & neceſſariò movetur; ad bona verò particularia ſe liberè movet. 221.
Appetitus rationalis, quo bonum, actu elicito, proſequitur. 221.
Delectatur amore rerum ſpiritualium. 181.
Eſt in ratione. 221.
Fertur in omne ens ab intellectu cognitum ſub ratione boni. 221.
Habet libertatem eligendi vel non eligendi hoc vel illud bonum particulare. 221.
Im-

Cognoſcit intellectum & voluntatem humanam, ſecundùm naturalia. 234.
Cognoſcit perfectiùs, & intenſivè meliùs, animam, quàm ipſa cognoſcat ſe ipſam. 245. 246.
Cui ab initio Deus infudit ſpecies intelligibiles. 205.
Factus eſt ex nihilo. 194.
Non attingit uſum ſpecierum, quæ ſunt in humano intellectu. 243. 244.
Qui cognoſcit ſolùm per ſpecies ſibi congenitas. 240.
Subſtantia ſpiritualis completa. 181.

Caro

Corpus humanum. 182.

Proportio.

Mathematica, eſt illa, quæ inter quantitates reperitur. 183.
Phyſica, quæ reperitur inter actum & potentiam, perfectivum & perfectibile, & ſimilia. 183.

Spirituale

Quod fit ex nihilo ſubjecti. 184.
Quod produci nequit dependenter à ſubjecto ſeu materia. 184.

Fieri

Per creationem, produci ex nixilo ſui & ſubjecti. 184.
Per traducem, propagari ex ſemine à pa-

à parentibus. 184.

Creatio

Productio ex nihilo ſui & ſubjecti. 180.

Beatitudo

Ad quam nos inducunt operationes honeſtæ. 227.

Quæ noſtro naturali appetitui maximè conformis eſt. 227.

Status, omnium bonorum aggregatione, perfectus. 190.

Ius

Naturale, poſcit ſectari virtutem, fugeræ vitia. 191. 192. 193.

Reverti in nihilum

Eſt illius, quod conſtat ex partibus. 194.

Illius, quod habet contrarium. 194.

Illius, quod pendet ab eo, quod eſt defectibile. 194.

Illius, quod privatur cauſa conſervante. 194.

Hoc aliquid

Primo modo, eſt ens completum. 194.

Secundo modò, eſt ens per ſe ſubſiſtens. 195.

Operatio

Eſt ejus, cujus eſt potentia & principium operationis. 201.

Involuntaria, quæ procedit vel ab

extrinſeco operantis, vel ex concupiſcentia, aut ignorantia ipſius operantis. 224.

Secundùm quid, cui adeſt imperfectè, vel voluntatis cooperatio aut ſaltem inclinatio, vel objecti & mediorum cognitio. 224.

Totaliter, quæ omninò caret vel cooperatione aut ſaltem inclinatione voluntatis, vel cognitione objecti & mediorum. 224.

Mixta ex voluntario & involuntario; cui convenit vel partim eſſe ab extrinſeco & partim ab intrinſeco; vel partim adeſſe & partim non adeſſe cognitionem finis; vel eſſe involuntaria ſecundùm quid. 224.

Voluntaria, quæ adæquatè procedit ab intrinſeco & dependet à præcognitione perfecta finis ad quem ordinatur. 222.

Ratio

Inferior, & ſuperior, quæ nonniſi per officia diſtinguuntur. 215.

Nuncupatur intellectus, quatenus, ratiocinatione utens, aliud, ex alio per diſcurſum elicit. 214.

Potentia intellectiva animæ rationalis. 204.

Inferior, cogitativa potentia, prout ratio-

ratiocinatur de particularibus ; propter conjunctionem , quam habet cum intellectu in homine. 215.

Intellectus, quando decernit, quid ſit temporaliter agendum. 215.

Intendit rebus temporalibus. 215.

Tota pars ſenſitiva , prout imperio intellectus & volontatis ſubjecta eſt. 215.

Superior, intellectus, prout res ęternas contemplans, ex eis quaſdam regulas actionum humanarum deſumit. 215.

Intendit rebus æternis conſpiciendis aut conſulendis. 215.

Mens

Ipſa anima rationalis. 204.

Potentia intellectiva animæ rationalis. 204.

Deus

Cauſa univerſalis. 205.

Id, cui debetur cognitio perfectiſſima omnium entium. 240.

Id, quod cognoſcit clarè humani cordis cogitationes. 240.

Qui ſolus novit cor omnium filiorum hominum. 241.

Libertas

Seu *Potentia libera libertate indifferentiæ*, potentia ad agendum, & non agen-

agendum. 238.

Potentia ad bene & male agendum. 238.

Potentia, quæ, poſitis omnibus requiſitis ad agendum, poteſt agere & non agere. 237.

Voluntatis, eſt nobiliori modo in intellectu, quàm in voluntate. 213.

Non auſertur, per neceſſitatem naturalem. 222.

Radicaliter, cauſaliter, & perfectiori modo continetur in intellectu, quàm in voluntate. 213.

Radicatur in propoſitione indifferenti intellectus. 213.

Neceſſitas

Extrinſeca ſeu *violenta*, quæ vel adæquatè procedit à cauſa extrinſeca, vel ſi à cauſa intrinſeca non procedit à cognitione finis. 224. 225.

Intrinſeca ſeu *naturalis*, eſt in voluntate circa rationem boni ut ſic. 222.

Movet naturaliter voluntatem ad bonum in communi. 221.

Non aufert voluntatis libertatem. 222.

Voluntarium ſeu *ſpontaneum*

Cujus in ſe principium continet is, qui ſcit res ſingulas, in quibus actio verſatur. 222.

Id

Id, quod eſt ab intrinſeco cum cognitione finis. 222.
Id, quod procedens ab intrinſeco, per ſe & formaliter dependet à præcognitione finis, ad quem ordinatur. 222.
Abſolute & ſimpliciter, etiam id, quod procedit à metu naturali. 228.
Quod fit etiam ex ignorantia conſequenti affectata. 234.
Imperfectum, appetitio, ſive à bruto, ſive ab homine irrationaliter operante, producta. 223.
Liberum, appetitio producta ex perfecta præcognitione finis ſeu boni particularis. 223. 225.
Quo abſolutè perfectius eſt ex genere ſuo neceſſarium voluntarium. 226.
Quod eſt reſpectu hominis, qua viator eſt, perfectius quam neceſſarium. 226.
Quod in viatore perfectius eſt neceſſario. 227.
Mixtum involuntario, cum operationi convenit, partim adeſſe & partim non adeſſe cognitionem finis. 224.
Cum operationi convenit, partim eſſe ab intrinſeco, partimque ab

extrinſeco. 224.

Quod procedit ex ignorantia conſequenti non affectata. 233. 234.

Neceſſarium, appetitio producta ex perfecta præcognitione finis ſeu boni in communi. 233. 235.

Quod eſt ex genere ſuo abſolute perfectius, quàm voluntarium liberum. 226.

Perfectum, appetitio ex perfecta præcognitione finis producta. 223.

Appetitio humana. 223.

Involuntarium ſeu *Invitum* aut *Violentum*

Quando compellitur homo per violentiam, vel metum non naturalem, ſeu ab extrinſeco incuſſum, aliquid agere. 224.

Quando erumpit homo in operationem ex concupiſcentia vel ignorantia, quæ opponuntur perfectioni cognitionis, qua regulatur voluntas ad operandum. 224.

Quod caret alterutra ex formalitatibus ad voluntarium requiſitis. 223.

Quod non eſt ab intrinſeco, ſed adæquate procedit à cauſa extrinſeca. 223. 224.

Quod non procedit à cognitione finis, quam præhabeat cauſa. 224.

Quod

Quod parit dolorem & triſtitiam in operando. 231.

Imperfectè, ſeu *ſecundùm quid*, ſive *mixtum ex voluntario*; quando, non totaliter, ſed ſecundùm quid, adeſt in humana operatione voluntatis operatio ſeu inclinatio, vel non omninò deeſt cognitio objecti. 224.

Perfectè ſeu *totaliter*, id, cum quo quis operans agit contra ſuam inclinationem etiam implicitè. 233.

Quando ignorantia eſt cauſa, ut fiat id, quod aliquo modo voluntati diſplicet. 235.

Quando in humana operatione deeſt omninò cognitio objecti & mediorum. 224.

Quando nulla adeſt voluntatis operatio ſeu inclinatio in humana operatione. 224.

Quando eſt etiam implicitè contra voluntatis inclinationem. 233.

Quod eſt omninò non voluntarium. 233.

Quod non eſt volitum directè ſeu in ſe ipſo, nec indirectè ſeu in ſua cauſa. 233.

Syndereſis

Eſt tantummodo de bono. 215.

Habitus naturalis, quo intellectus

cognoſcit prima principia practica. 215. 216.
Non eſt potentia intellectiva. 215.
Nuncupatur conſcientia, propter affinitatem & magnā ſimilitudinem, quam habet cum conſcientia. 216.

Conſcientia

Latè ſumpta, habitus naturalis nuncupatus ſynderesis, quo intellectus cognoſcit prima principia practica. 215. 216.
Pædagogus animæ ſociatus. 216.
Strictè accepta & propriè, applicatio ſcientiæ univerſalis practicæ ad aliquod particulare objectum. 216.
Dictamen rationis, quo judicamus quid nobis faciendum vel non faciendum ſit. 216.

Præcognitio finis ſeu *boni*

Cognitio præhabita ſeu prævia, aut prælucens. 224. 228. 230.
Imperfecta & *materialis*, eſt illa, qua homo aliquando operatur imperfectè ex prima appræhenſione boni convenientis, quæ communis eſt homini cum brutis. 222. 223.
Qua ſolum attingitur res, quæ habet rationem finis abſque expreſſione conceptus formalis finis. 222.
Perfecta, propria hominis rationaliter

liter & deliberatè operantis. 223.

Qua attingitur res, quæ habet rationem finis, cum expreſſione conceptus formalis illius, & cum comparatione tùm ipſius cum mediis, tùm mediorum ad invicem. 222. 223.

Amor Dei

In beatis ſeu *beatificus*, eſt actus ab intrinſico, ſimulque actus neceſſarius perfectè voluntarius. 225.

Inclinatio rationalis in bonum ſeu finem formaliter præcognitum, præcognitione clara & diſtincta. 225.

Suprema ſpecies voluntarii neceſſarii. 226.

In viatoribus ſeu *ſantificans*, eſt actus ab intrinſeco, ſimulque actus liber perfectè neceſſarius. 225.

Prædicatum

Perfectius, ex genere ſuo, cuius ſuprema ſpecies præeminet perfectione omnibus ſpeciebus, quæ ſub altero prædicato ſibi oppoſito continentur. 226.

Metus

Fuga mali futuri difficulter vitabilis. 227.

Per accidens, ſeu *innaturalis*, & *violentus*; cui meliùs nobis eſt non ſubeſſe, quàm ſubeſſe. 227.

††† 6 Qui

Qui facit, actum ſimpliciter volitum, & nolitum conditionatè. 229.
Qui facit, ut actus ſit partim voluntarius & partim involuntarius, ut poſſit dici ſimpliciter voluntarius & ſecundùm quid involuntarius. 229. 230.
Qui imponit neceſſitatem amittendi unum è duobus bonis, quæ ſimul honeſtè retineri poſſent. 228.
Qui incutitur à cauſis, quas exiſtere, ut incutientes talem metum, contrariatur appetitui noſtro innato. 227. 228.
Per ſe ſeu *naturalis*, cui meliùs nobis eſt ſubeſſe quàm non ſubeſſe. 227.
Non impedit cognitionem prælucentem ipſi actui. 228.
Nullo modo cauſat involuntarium. 228.
Qui nos impellit ad operationes honeſtas, quæ nos ad beatitudinem ducunt. 227.
Qui provenit à cauſis, quas, eſt conforme appetitui noſtro innato, exiſtere,& talem metum incutere. 227

Concupiſcentia

Maxima inclinatio ſubjecti, cum prævia cognitione formali bonitatis deſideratæ. 230.

Non

Non cauſat involuntarium. 230.
Non minuit voluntarium, imò illud auget. 230.
Parit delectationem & gaudium in operando. 231.
Quæ opponitur perfectioni cognitionis, qua regulatur voluntas ad operandum, parit involutarium. 224.

Ignorantia

Occultat operis conditionem, dum fit. 234.
Affectata, moraliter non minuit, ſed auget potiùs voluntarium. 234.
Phyſicè minuit voluntarium. 234.
Quæ de induſtria eſt volita. 232.
Quæ directè eſt volita. 232.
Antecedens, facit, ut opus ſit omninò involuntarium ſecundùm illam rationem ac circumſtantiam, ſecundùm quam ab ipſa procedit. 233.
Quæ antecedit omnem voluntatem, quæ circa ipſam ſit. 231.
Quæ nullo actu voluntatis eſt volita, ſive implicitè, ſive explicitè. 231.
Comitans, nullum cauſat involuntarium. 233.
Qua ponitur ignoranter opus, quod tamen poneretur, etiam ſi ignorantia illa non haberetur. 232.
Qua ponitur opus, ſed animo diſpo-

ſpoſito illud ponendi etiam ſi ſciretur, quod tunc ignoratur. 233.
Volita ad liberiùs operandum. 234.
Volita, ne ab opere, quod homo meditatur, ſciendo avertatur. 234.
Conſequens, quæ, aliquo modo conſequitur ad aliquem actum voluntatis. 232.
Quæ aliquo pacto eſt volita. 232.
Si non eſt affectata, facit actum ſimpliciter voluntarium, & ſecundùm quid involuntarium. 233.
Craſſa ſeu *ſupina*, naſcitur ex ſocordia. 232.
Quando non eſt volita in ſeipſa, ſed in quadam voluntaria negligentia ſciendi ea, quæ homo advertit ſe debere noſſe. 232.
Quæ indirectè eſt volita. 232.
Volita, ne ſubeat moleſtiam & laborem diſcendi. 235.
Volita, ob cupiditatem operandi conjunctam cum voluntate abſtinendi a tali opere, ſi ſciret eſſe malum. 235.
Vincibilis, quæ adhibita diligentia, poteſt vinci, ſeu deponi. 232.
Præmium
Id, quod datur hominibus, quia patrarunt illud laudabile, quod potuiſ-

tuiſſent non patrare. 237.

Id, quod de ſua natura ponitur ad alliciendos homines ad illam honeſtatem, quam, non propoſito præmio, facile omitterent. 237.

Pœna

Id, quod infertur hominibus, quia patrarunt ſcelera, à quibus debebant abſtinere. 237. 238.

Id, quod oſtenditur ad hoc, ut homines abſtineant ab in honeſto, quod, præciſo pœnarum metu, facile eligerent. 237.

Conſilium

Id, quod ſupponit in eo, qui illud recipit, poteſtatem agendi vel omittendit actionem contrariam. 238.

Correctio

Id, quod ſupponit correctum potuiſſe aliter facere. 238. 239.

Occulta cordis

Cogitationes humani cordis. 240.

Intellectus & voluntatis affectiones. 239.

Non poſſunt repræſentari per ſpecies ordinis naturalis. 241.

Sunt in ordine liberorum, qui medius eſt inter naturale & ſupernaturale. 241.

Naturale
Id, quod eſt ordinis inferioris. 241.
Supernaturale
Id, quod eſt ordinis ſuperioris. 241.
Liberum
Id, quod eſt medium inter naturale & ſupernaturale. 241.
Palleſcere
Proprium timidorum. 241. 242.
Erubeſcere
Verecundorum proprium. 242.
Defunctus
Per naturam propriam vivorum rebus intereſſe non poteſt. 249.

LEctor humaniſſime, magnitudo Indicis hujus Tomi IV. ne te moveat: in eo enim continentur tres Tractatus; quorum quilibet peculiarem Indicem poſtularet, ſi ſeorſim editus fuiſſet, triplò minorem. Vale.

IN-

INDEX
Capitum Definitionum.

A

ACcidens xiij.
Actio lxx.
Actus volũtatis lxxij.
Aeris regio xxj.
Æſtus marinus xxxiv
Alimentum xxxxviij.
Alteratio xij.
Amor Dei lxxxiij.
Angelus lxxiv.
Anima xxxvij.
Animal xxxxij.
Argentum xxxvj.
Argentum vivum xxxvij.
Audire lix.
Auditio lix.
Augumentatio xj.
Aurichalchũ xxxvij.
Auris lvij.
Auris partes lviij.
Aurum xxxvj.

B

BEatitudo lxxv.
Bilis l.

C

CAdens ſtella ſive ſydus xxiij.
Caligo xxxij.
Calor xxxxiv.
Cambium xxxxviij
Caro lxxiv
Capra ſaltans xxiii.
Caſtor xxiv.
Chylus xxxxviii.
Cognitio lxii.
Color xxvi.
Cometa xxi.
Conceptus lxx.
Concupiſcẽtia lxxxiv.
Conſcientia lxxxii.
Conſilium lxxxvii.
Converſio x.
Cor l.
Cordis occulta lxxxvii.
Corporis partes lxi.
Corpus xxxxii.
Correctio lxxxvii.
Corruptibile x.
Corruptio x.
Creatio lxxv.
Cryſtallum xxxi.

D.

DÆmon lxxiv.
Defunctus lxxxviii.
Dei amor lxxxiii.

Den-

lxxxx
Dentes xxxxviii.
Deus lxxvii.
Diſcurrens ſydus ſive ſtella xxiii.
Diſpoſitio xv.
Draco volans xxiii.

E

Electrum xxxvii.
Elevata ſeu Meteora xx.
Ens vii.
Erubeſcere lxxxviii.
Excrementa li.
Exercitus pugnantes xxvii.
Exhalatio xx.
Extenſio xv.
Externus ſenſus li.

F

Facultas xv.
Fax xxii.
Ferrum xxxvi.
Fieri lxxv.
Figura xviii.
Finis xiv.
Flamma xxii.
Fluminũ origo xxxv.
Fluxus & refluxus xxxiv
Fontium origo xxxv.
Forma xiii.
Foſſilia xxxv.
Fovea xxvii.
Fulgur xxv.
Fulmen xxv.

G

Generare x.
Generari x.
Generatio viii.
Genitum ix.
Glacies xxxi.
Gluten xxxxix.
Grando xxx.

H

Habitus xv.
Helena xxiv.
Hematoſis xxxxix.
Hepar xxxxix.
Hiatus xxvii.
Hoc aliquid lxxv.
Homo xxxxvi.
Hydrargyrũ xxxvii.

I

Iecur xxxxix.
Ignis xxiv.
Ignorantia lxxxv.
Imago lxxi.
Imber xxix.
Impotentia xviii.
Individuum viii.
Innatus ſal xix.
Intellectio lxviii.
Intellectionis perfectio lxix.
Intellectualitas lxviii.
Intellectus lxv.
Intelligentia lxx.
Intelligere lxviii.
Inten-

Intenſio xv.
Intentio lxii.
Internus ſenſus liii.
Invitum lxxx.
Involuntarium lxxx.
Iris xxvii.
Ius lxxv.

L

LAncea xxii.
Lapis xxxv.
Libertas lxxvii.
Liberum lxxxviii.
Lingua lxi.
Linguæ partes lxi.
Lotium li.
Luce di S. Elmo, o Ermo xxiv.
Lumen xxxxv.

M

MAnna xxxiii.
Marinus ęſtus xxxiv.
Mater lvi.
Materia xiii.
Mel xxxii.
Mens lxxvii.
Metallum xxxv.
Meteora xx.
Metus lxxxiii.
Miſcibilia xix.
Mixtio xviii.
Mixtum xix.
Modus vivēdi xxxxv
Motus xxxxviii.
Motus terræ xxxiv.
Muſculi partes lvii.
Muſculus lvii.
Mutatio ix.

N

NAſi partes lix.
Naſus lix.
Naturale lxxxviii.
Nebula xxxi.
Neceſſitas lxxviii.
Nimbus xxix.
Nix xxx.
Notio lxii.
Notitia lxii.
Nubes xxviii.
Nutritio xi.

O

OBjectum vi.
Occulta cordis lxxxvii.
Oculi partes liv.
Oculus liv.
Odor lx.
Olfactus lx.
Operatio lxxvi.
Origo fontium ac fluminum xxxv.

P

PAlleſcere lxxviii.
Parelia xxviii.
Partes auris lviii.
Partes corporis lxi.
Partes linguæ lxi.
Partes muſculi lvii.

Partes naſi lix.
Partes oculi liv.
Partes viventis naturalis xxxxvii.
Paſſibilis xviii.
Paſſio xviii.
Perfectio intellectionis lxix.
Phantaſma lxxi.
Phlegma l.
Pituita l.
Plumbum xxxvi.
Pluvia. xxviij.
Pollux. xxiv.
Pœna. lxxxvij.
Potentia. xv.
Præcognitio. lxxxii.
Prædicari. xxxxvii.
Prædicatum. lxxxiii.
Præmium. lxxxvi.
Primum. xxxxii.
Privatio. x.
Proportio. lxxiv.
Pruina. xxxii.
Pugnantes exercitus. xxvii.

Q

Qualitates xiv.

R

Ratio lxxvi.
Regio aeris xxi
Reverti lxxv.
Ros xxxii.

S

Sal innatus xix.
Saltans capra xxiii.
Sanguis l.
Sapor lxi.
Senſatio lxxi.
Senſibile liv.
Senſitivum xxxxvii.
Senſus li.
Senſus externus. li.
Senſus internus liii.
Sentire lxi.
Simile xxxxv.
Sonus lix.
Species lxii.
Spirituale lxxiv.
Spontaneum lxxviii.
Stella cadens ſeu diſcurrens xxiii.
Subjectum vii.
Sublimia ſeu meteora xx.
Subſtantia viii.
Supernaturale lxxxviii.
Sydus cadens ſeu diſcurrens xxiii.
Synderesis lxxxi.

T

Tangibile lxi.
Terminus ix.
Terræmotus xxxiv.
Tonitru xxv.

To-

Totum xiv.
Trabs xxij.
Truncus venæ cavæ xxxxix.

V

VApor xx.
Vegetativum xxxxvij.
Velle lxxiij.
Venæ xxxxix.
Ventus xxxiij.
Verbum lxx.
Videre lvij.
Violentum lxxx.
Virtus xv.
Viſio lvij.
lxxxxiii.
Vita xxxxiij.
Vivẽdi modus xxxxv
Vivens xxxxiv.
Vivẽtis naturalis partes xxxxvij.
Vivere xxxxv.
Vivum argentum xxxvij.
Volans draco xxiij.
Volitio lxxiij.
Voluntarium lxxviij.
Voluntas lxxj.
Volũtatis actus lxxij.
Vorago xxvij.
Vrina lj.



IN-

INDEX
DISPVTATIONVM QVÆSTIONVMQ.
In duos Ariſtotelis Libros
De Generatione, & Corruptione.

Diſputatio I. De Generatione. 1.
Quæſtio I. Quid ſit generatio ſubſtantialis. 2.
Quæſtio II. Vtrùm in genere ſubſtantiali fiat reſolutio uſque ad materiam primam. 8.
Diſputatio II. De Alteratione. 17.
Quæſtio I. Vtrùm intenſio qualitatis fiat per additionem gradus ad gradum. 21.
Quæſtio II. Quænam qualitates ſint capaces intenſionis. 30.
Diſputatio III. De mixtione. 33.
Quæſtio I. Quid ſit mixtum, & mixtio 34.
Quætio II. An, ſicut idem mixtum ſit ex pluribus miſcibilibus, poſſit etiam à pluribus cauſis totalibus ejuſdem generis & ordinis ſimul produci. 38.

In quatuor Ariſtotelis libros Meteororum.

Diſputatio unica. 43.
Caput I. Qudi ſit vapor, & quid exhalatio. 44.
Caput II. De meteoris ignitis. 45.
Caput III. De cometis. 46.
Caput IV. De flamma, trabe, dracone volante, &c. 51.

Caput V. De tonitru, fulgure, & fulmine. 54.
Caput VI. De coloribus, biatibus, voraginibus, & via lactea in cælo apparentibus. 57.
Caput VII. De iride & pareliis. 59.
Caput VIII. De meteoris aqueis. 61.
Caput IX. De ventis. 75.
Caput X. De terræmotu. 78.
Caput XI. De vario motu maris. 81.
Caput XII. De fontium ac fluminum origine. 87.
Caput XIII. De generatione foſſilium. 90.

In tres Ariſtotelis libros
De Anima.

Diſputatio I. 94.
Quæſtio I. Quid ſit anima. 95.
Quæſtio II. In quo conſiſtat conceptus vitæ. 104.
Quæſtio III. Quot ſint animarum genera, & animatorum gradus. 109.
Quæſtio IV. Vtrùm una, vel plures animę ſint in eodem vivente. 113.
Quæſtio V. Vtrùm omnes animę ſunt indiviſibiles. 130.
Quęſtio VI. Vtrùm ſanguis, & alię partes fluidę ſint animatę. 135.
Diſputatio II. De anima vegetativa. 140.
Quęſtio I. Quid ſit, & quomodò fiat nutritio. 140.
Quęſtio II. De augumentatione, & generatione. 146.

Diſ-

Diſputatio III. De anima ſenſitiva. 149.
Quęſtio I. Quot, & qui ſint ſenſus. 150.
Quęſtio II. De ſenſu viſus. 153.
Quęſtio III. de ſenſu auditus. 162.
Quęſtio IV. De ſenſu olfactus. 165.
Quęſtio V. De ſenſu guſtandi. 167.
Quęſtio VI. De ſenſu tactus. 168.
Quęſtio VII. Vtrùm ad ſenſationem faciendã requirantur ſpecies intentionales. 170.
Diſputatio ultima. De anima rationali. 178.
Quęſtio I. Vtrùm anima rationalis ſit ſpiritualis. 179.
Quęſtio II. Vtrùm anima rationalis ſit immortalis. 186.
Quęſtio III. Vtrùm anima rationalis uniatur corpori, ut forma informans. 195.
Quęſtio IV. Vtrùm omnium hominum ſit una numero anima, an vero multiplex pro numero corporum. 199.
Quęſtio V. Quęnam, & quot ſint potentię animę rationalis. 292.
Quęſtio VI. Quid & quotuplex ſit intellectus. 204.
Quęſtio VII. De voluntate, & eius libertate. 221.
Quęſtio VIII. Vtrùm occulta cordis humani cognoſcantur à Dęmone. 240.
Quęſtio IX. De anima ſeparata à corpore. 246.

IN-

IN DVOS

ARISTOTELIS

LIBROS

De Generatione, & Corruptione.

DISPVTATIO I.

DE GENERATIONE

CVM in octo libris de Phyſico auditu de mobilitate in communi, ejuſque principiis diſſeruiſſet Philoſophus; in libris de Cœlo de mobilitate locali: in his duobus de Ortu, & Interitu ſubſtantiali, & de motibus augumentationis, & alterationis tractat, recto videlicet ordine doctrinæ a communibus ad minùs communia procedens. Objectum ergò hujus tractatus eſt ens generabile, & corruptibile, quia de ipſo primò, & per ſe agitur: alteratio verò, & augumentatio ſecundariò conſiderantur;

alteratio enim inſpicitur, ut medium ordinatum ad generationem tanquã ad finem: augumentatio autem conſequitur ipſam generationem, nam augumentatio non fit ſine quadam particulari generatione, qua nutrimentum convertitur in nutritum, ut ait D. Thom. in Proem. ad hos libros.

QVÆSTIO I.
Quid ſit generatio ſubſtantialis.

SVpponit titulus quæſtionis dari in rerum natura ſubſtantialem corporis naturalis generationẽ per hoc, quòd in materiam præviis diſpoſitionibus præparatam nova forma ſubſtantialis inducatur, ut agentes in Phyſica de materia, & forma ſatis probavimus contra atomorum Propugnatores. Generatio conſiderari poteſt, vel ut actio quædam generantis eſt, vel ut mutatio ſubjecti, ſeu materiæ primæ tranſeuntis de privatione ad formam ſubſtantialem e. g. de non forma ignis ad formam ignis. Primo modo accepta definiri communiter ſolet *Actio productiva corporis naturalis nova in materiam priùs diſpoſitam inducta forma ſubſtantiali*. Sed

hic

hic de generatione ſecundo modo accepta ſermo eſt, de qua Dico

Rectè explicatur hic ab Ariſtotele: *Generatio eſt mutatio de non ente ſimpliciter in ens actu.*

Prob. Quia talis definitio conſtat genere, & differentia, ergò eſt optima. Genus eſt *mutatio*, eſt enim communis generationi, alterationi, augumentationi &c. quæ ſunt ſpecies ipſius, in quas immediatè dividitur; quare D. Thom. quæſt. 2. de pot. art. 1. ad 15. loquens de ſubſtantiali generatione ait. *Generatio eſt ſpecies mutationis*, idemq; repetit 1. p. quæſt. 27. art. 2. reliquæ particulæ ſunt differentia; per illas enim differt ſubſtantialis generatio ab omnibus, & ſingulis aliis ſpeciebus mutationis, in nulla enim alia mutatione fit ens actu ex non ente ſimpliciter, ut expreſsè docet Ariſt. hic tex. 24. patetque conſideranti alias mutationis ſpecies

Ex his patet hanc definitionem coincidere cum aliis, quæ paſſim ex eodem Philoſopho afferuntur, ut *mutatio ex non ſubjecto in ſubjectum, vel mutatio de non eſſe ad eſſe ſubſtantiale, vel mutatio ſubſtantiæ in potentia ad ſub-*

ſtantiam in actu. Significant enim idem prorſus ac prima. Declaratur etiam optimè generatio, per id, quod habetur tex. 23. *Eſt mutatio totius in totum nullo ſenſibili ſubjecto remanente, ut ſubjecto eodem*, ubi notandum eſt, quòd nomine ſubjecti ſenſibilis intelligitur ſubſtantia corporea completa, ſeu totum ſubſtantiale, quod appellatur etiam *ſenſibile ut quod*: eſt enim id, quod fit proximè ſenſibile per accidentia, quæ propterea dici ſolent *ſenſibile ut quo*, ſic ignis ſentitur per calorem, ſol per lucem, & ſic de aliis. Dum dicitur *totius in totum* non eſt ſenſus, quòd in generatione debeat perire totaliter, ideſt tam quoad materiam, quàm quoad formam tota ſubſtantia præcedens, ſed ſatis eſt, ſi per deſitionem, vel ſeparationem formæ ſubſtantialis deſinat eſſe illud totum, quod erat priùs, & fiat aliud e. g. ut fiat generatio cadaveris ſatis eſt ſi ſpolietur materia forma rationali, & inducatur in ipſam forma cadaverica; ut generetur planta ſatis eſt ſi deſinat eſſe in materia forma ſeminis, & in ipſam inducatur forma plantæ, licèt enim remaneat materia eadem, quæ erat priùs tam in cada-

vere

vere, quàm in planta; nihilominus verè dicimus; non eſſe amplius hominem, nec ſemen, ſed eſſe cadaver, & plantam, & ſic pereunte homine, qui eſt aliquod totum, fit cadaver; pereunte ſemine, quod eſt totum, fit aliud totum, quod eſt planta; & ita rectè dicitur fieri *mutatio totius in totum*. Imo eo quòd generatio ſit *mutatio*, connotat eſſentialiter ſubjectum, quod mutetur de uno ad alium terminum tranſeundo, atque adeo poſcit, ut remaneat ſub forma geniti hoc ſubjectum, quod erat ſub forma corrupti, alioquin ſi tale ſubjectum non remaneret, non eſſet aſſignabile quid eſſet illud, quod mutaretur, nec fieret proinde mutatio, ſed annihilatio.

Notandum pariter eſt, quòd cum mutatio ſit tranſitus de uno ad alium terminum, ſcilicet de termino *a quo* ad terminum *ad quem*, generatio iſtos duos terminos connotat. Terminus *a quo* eſt non ens ſimpliciter, ſeu privatio, a qua recedit materia, ex. g. ex non homine tranſeundo ad fieri hominem, ex non planta ad fieri plantam. Terminus *ad quem* duplex eſt, alius dicitur terminus *qui*, vel

ut quod: alius terminus *ut quo*. Terminus *qui* eſt totum illud, ſeu ſubſtantia completa, quæ de novo generatur; terminus *quo* eſt forma, qua mediante totum illud conſtituitur, e. g. in generatione humana, homo eſt terminus *qui*, anima rationalis eſt terminus *quo*, & ſic de cæteris. Non eſt hic omittendum diſcrimen inter generationem, & converſionem, nam licet omnis generatio ſit converſio, tamen econtra non omnis converſio eſt generatio. *Converſio enim eſt tranſitus a termino poſitivo ad poſitivum cum aliqua inter ipſos connexione ratione tertii utrique termino communis*. Patet propterea poſſe fieri converſionem abſque generatione, ſic in venerabili Euchariſtiæ Sacramento fit ſubſtantialis converſio panis in ſubſtantiam Corporis Chriſti ſub iisdem accidentibus panis, quæ ſunt utrique communia, quæ converſio non eſt generatio.

Ob. I. Datur aliqua generatio, nempe Verbi Divini, quæ non eſt mutatio, ergò mala eſt allata definitio. Rurſus dum nutritur animal, alimentum mutatur de non eſſe ſimpliciter vivens ad eſſe ſimpliciter vivens

vens; & tamen hæc mutatio non eſt generatio, ergò allata definitio competit alteri a generatione.

Reſp. Hic definiri generationem purè naturalem, & communem, non verò ſupernaturalem, & ineffabilem, qualis eſt Divini Verbi generatio. *Mutatio* eſt genus non ad generationem, ut ſic, ſed ad generationem communem, corruptionem, alterationem, augumentationem, & ſimiles. Quare generatio propria viventis, non eſt ſpecies generationis communis, alioquin includeret eius imperſectionem, ſcilicet mutationem, ſed eſt ſpecies productionis, quæ abſtrahit ab imperfectione, poteſtque convenire, imo convenit etiam Divinis, cum producatur a Patre Filius, & a Patre, & Filio Spiritus Sanctus. Ad ſecundam objectionis partem dico, quod cum nomine entis actu intelligatur totum ſubſtantiale, in nutritione verò alimentum non mutetur ad eſſe ſimpliciter, ſeu ad eſſe totum, ſed ad eſſe partem viventis, propterea nutritio non eſt verè generatio, ſed dicenda potiùs eſt aggeneratio, quia per ipſam idem vivens, quod erat anteà

aggenerat ſibi partes loco illarum, quæ per actionem naturalis caloris deperduntur.

QVÆSTIO II.

Vtrum in generatione ſubſtantiali fiat reſolutio uſque ad materiam primam.

PVtant Thomiſtæ in generatione ſubſtantiali ſic perire, vel recedere formam ſubſtantialem præcedentem, ut in genito nec eadem quantitas, nec ullum aliud accidens remaneat ex iis, quæ fuerunt priùs in corrupto. Oppoſitum ſentiunt Scotiſtæ cum pluribus recentioribus, qui exiſtimant, non modò quantitatem, ſed etiam aliqua alia accidentia remanere. Dico,

In generatione ſubſtantiali non fit reſolutio uſque ad materiam primam.

Prob. I. Materia prima in inſtanti generationis remanet præparata, & diſpoſita ad novam formam per accidentia, quæ antecedenter inducta ſunt ibi ab agente; ergò non fit reſolutio uſque ad materiam primam. Antecedens eſt certum, nam niſi remaneret præparata, & diſpoſita, non eſſet potiùs ad unam, quàm ad aliam formam determinata; ergò remanet

præ-

præparata, & diſpoſita. Quod autem hæc pręparatio habeatur per accidentia, nequit dubitari; nam id, quo agens naturale præparat, & diſponit materiam ad novam formam, nihil aliud eſt, quam accidentia proportionata tali formæ; ergò in inſtanti generationis remanent illa accidentia. Confirmatur 1. quia ſi nullum remaneret accidens, remaneret in illo inſtanti ſola, & nuda materia: non enim eſt de ſe præparata, & diſpoſita ad ullam formam, ſed æquè indifferens ad omnes; ergò remaneret materia æquè indifferens ad omnes formas, & ſic ad nullam ſpecialiter præparata, & determinata: nec poſſet reddi ratio, cur potiùs unam, quàm aliam reciperet. Confirm. 2. quia in genito, depræhenduntur per ſenſus quædam accidentia, quæ erant in corrupto, ut patet in cadavere retinente eandem figuram, cicatrices, quantitatem, &c. ergò non fit reſolutio uſque ad materiam primam. Nec ſubſiſtit reſponſio Adverſariorum dicentium, ea accidentia non eſſe eadem, quæ fuerant in corrupto, ſed eſſe illis ſimilia: nam nulla ſufficiens reddi poteſt

ratio cur natura deſtruat accidentia omnia in corrupto, ut ſtatim accidentia ejuſdem rationis reproducat in genito

Ob. I. Hæc opinio adverſatur Philoſopho dicenti tex. 23. nullum remanere ſubjectum ſenſibile in generatione: remaneret autem ſubjectum ſenſibile, ſi remaneret materia, cum aliquibus accidentibus. Rurſus in libro prædicament. ait: *deſtructis primis ſubſtantiis nihil remanet cæterorum*: ſed primæ ſubſtantiæ ſunt individua: ergò deſtructis per corruptionem individuis nulla remanent accidentia. Denique idem Ariſtot. docet ſubjectum accidentium eſſe ens actu: ſed ens actu eſt totum, ſeù compoſitum; ergò in interitu compoſiti perit ſubjectum accidentium, ac proinde pereunt etiam omnia accidentia.

Reſp. ut dixi quæſt 1. verſ. *Ex his patet*, nomine ſubjecti ſenſibilis intelligi ibi ſubſtantiam completam, ſeu totum, quod appellatur *ſenſibile ut quod*; quare in forma, diſtinguo, remanente materia cum accidentibus, remaneret ſubjectum ſenſibile *ut quod*, nego, *ut quo* concedo. Et hanc eſſe Philoſophi mentem eſt adeo verum,

ut non

ut non poſſit rationabiliter oppoſitum affirmari, cum enim ex ejus ſententia remaneat in genito eadem omnino materia, quæ erat in corrupto, ſi nomine ſubjecti ſenſibilis intellexiſſet materiam, ſibimetipſi contradiceret. Nec valet dicere locutum eſſe de accidentibus, quia accidentia non ſunt ſubjectum, ſed id, quod eſt in ſubjecto, & nimis impropria eſſet locutio dicere non remanere ſubjectum, ſi ea ſolum pereant, quæ in ſubjecto ſunt. Ad ſecundam difficultatem dico, Philoſophum ibi agere contra Platonem, qui admittebat Idæas, ſeu univerſalia ſeparata a ſingularibus; quare ſenſus illius textus eſt, quòd deſtructis primis ſubſtantiis, ſcilicet individuis, non remaneret ullum ens univerſale, non autem eſt ibi ſermo de accidentibus. Ad tertiam difficultatem diſtinguo, ens actu completo eſt totum, concedo; ens actu incompleto, nego. Materia, ut docui in Phyſica, eſt ens actu incompleto, ac proinde ſufficiens eſt, ut ſit ſubjectum accidentium; Ariſtoteles enim non dicit, ſolum ens in actu completo eſſe ſubjectum accidentium,

ſed loquitur indefinitè de ente in actu, ac propterea cum etiam materia ſit ens in actu, ipſam quoque illa propoſitione compræhendit.

Inſtabis I. Ens per accidens ſupponit ens per ſe; ergò accidentia ſupponunt totum.

Reſp. diſt. Ant. ſupponit ens per ſe vel completum, vel incompletum concedo: completum tantùm, nego antecedens, & conſequentiam. Materia, quæ ſupponitur accidentibus eſt ens per ſe incompletum, eſt enim ſubſtantia.

Inſtabis II. Debet ſupponere ens per ſe completum; ergò, &c. Ant. prob. quia debet ſupponere in materia formam ſubſtantialem, alioquin forma non eſſet actus primus; ideo enim dicitur actus primus, quia primò actuat, ſicuti accidens dicitur actus ſecundus, quia ſupponit materiam actuatam a primo.

Reſp. Formam dici, & eſſe actum primum prioritate dignitatis, & intentionis, non autem prioritate executionis. Eſt prior prioritate dignitatis, & intentionis, quatenus intenditur a natura, ut primum conſtitutivum corporis naturalis in eſſe ſub-

ſtan-

ſtantiali: hoc enim a nullo alio actu, quàm a forma ſubſtantiali habetur. Item eſt primum principium operationum, & proprietatum, quæ in compoſito reperiuntur. Denique illi ſubordinantur omnia accidentia, nonnulla tamquam diſpoſitiones, alia ut proprietates, ſeu propriæ facultates. Dicitur ergò actus primus, non quia primò actuet in executione, ſed quia primò intenditur, primò conſtituit ſubſtantiale compoſitum, & primò poſcit ſibi ſubordinari cætera, quod idem eſt, ac eſſe actum primum intentione, & dignitate.

Ob. II. Si accidentia quædam, quæ erant in corrupto, remanerent in genito, accidens tranſiret de ſubjecto in ſubjectum: ſed hoc eſt contra doctrinam Peripateticam; ergò &c. ſequela patet, ſubjectum enim accidentium eſt totum; ſed accidentia illa tranſirent de uno toto ad aliud; ergò &c.

Reſp. Negata ſequela majoris, diſtinguo probationem: ſubjectum denominationis eſt totum concedo: ſubjectum inhęſionis nego: nam ſubjectum inhęſionis accidentium eſt materia prima, quę cum eadem ſit in genito

genito, ac in corrupto, accidentia in corruptione non pereuntia, remanent in eodem ſubjecto, ac erant priùs.

Inſt. Non poteſt aſſignari cauſa conſervativa accidentium in genito, ſi enim moriatur animal ſub nive, in iſtanti poſt mortem ſentimus in eo aliquid caloris: cauſa autem talis caloris conſervativa nequit eſſe agens extrinſecum, ſcilicet nix, nec forma nova, ſcilicet forma cadavers;

Reſp. Retorqueo argumentum. Nequit etiam aſſignari cauſa, quæ producat de novo talem calorem, cum nec nix, nec forma cadaverica, nec materia prima id prȩſtare poſſint, & tamen Adverſarii dicunt talem calorem de novo produci. Si dicant produci à ſpiritibus vitalibus, ego dicam ab iiſdem conſervari calorem illum; & quȩcumque alia cauſa illius productiva aſſignetur, dicam eſſe cauſam conſervativam prioris caloris. Cæterum dico calorem, & alia hujuſmodi accidentia eſſe ex natura ſua de genere permanentium, ideoque ad ſui conſervationem non requirere naturaliter aliam cauſam, quàm ordinarium influxum primæ cauſæ: ſic patet quod calor productus in

aqua

aqua, quę aere frigido circumambitur, remoto igne conſervatur per aliquod tempus, donec paulatim expellatur per adventum oppoſiti frigoris: nec poteſt aſſignari alia cauſa coſervationis illius, quàm cauſa prima per ordinarium influxum, non enim poteſt dici conſervari calorem a forma aquæ, hæc enim eſt calori inimica, & ipſum, quantum poteſt reſpuit: nec ab ambiente aere, hic enim frigidus eſt: nec denique a materia prima, hæc enim eſt per ſe ad omnia æquè indifferens. Quare meritò dicitur, quòd cauſa conſervativa accidentium, quæ perſeverant in genito, cum priùs eſſent in corrupto, eſt prima cauſa per ordinarium influxum influens.

Inſt. Dici poteſt, quòd non remaneat in genito calor, qui erat in corrupto, ſed quòd producatur novus ad exigentiam ſigillationis materiæ, quæ in inſtanti corruptionis relinquitur ſigillata ab accidentibus, quæ immediatè præceſſerunt, & iam non ſunt.

Reſp. In primis remanere calorem docet expreſsè S. Thom. 3. p. quæſt. 9. art. 3. ad ſecundum per hæc verba.

ba. *Per calorem diſponitur materia ad ſuſcipiendam formam ignis, qua tamen adveniente, calor non ceſſat, ſed remanet quaſi quidam effectus talis formæ.* Rurſus peto: ſigillatio iſta vel eſt accidens, vel mera denominatio extrinſeca, quòd fuerint in materia illa accidentia; ſi primum, ergò remanſit tale accidens, & ſic non eſt facta reſolutio uſque ad materiam primam: ſi ſecundum nequit eſſe cauſa phyſicè diſpoſitiva materiæ ad alia accidentia, & ad novam formam; quòd enim fuit, & iam non eſt, nihil eſt in ratione phyſica, ſed tantum in ratione logica veri, ac proinde nihil poteſt phyſicè producere. Ex dictis patet, quòd cum generatio ſit verè, & propriè mutatio, ſubjectum generationis eſt materia, quæ tranſit, ſeu mutatur de privatione ad formam; genitum verò non eſt ſubjectum, ſed terminus generationis. Ratio ulterior eſt, quia realis mutationis termini *a quo*, *& ad quem* debent eſſe incompoſſibiles: ſed incompoſſibilitas ſalvatur tantùm reſpectu ejuſdem numero ſubjecti; ergò debet eſſe idem numero ſubjectum in generatione, & corruptione: ſed genitum

nitum non eſt idem numero in generatione, & corruptione, cum tamen eadem numero materia ſit; ergò ſubiectum generationis, & corruptionis eſt materia, & non genitum. Hoc totum expreſsè tradit Ariſt. hic text. 24. dicens. *Eſt autem & materia maximè quidem, & propriè ſubjectum generationis, & corruptionis ſuſceptibile, modo autem aliquo, & quòd aliis tranſmutationibus, quoniam omnia ſubjecta ſuſceptiva ſunt contrarietatum aliquarum.*

DISPVTATIO II.

De Alteratione.

CVm ad generationem, & corruptionem ſubſtantialem diſponat alteratio, Philoſophus hic text. 23. de ipſa tractare inſtituit ipſam definiens ſic. *Alteratio quidem eſt, quandò manente ſubjecto, ſenſibili exiſtente, tranſmutetur in eius paſſionibus, aut contrariis, aut mediis.*

Pro recta huius definitionis intelligentia notetur, quòd alteratio poteſt accipi vel latè, vel ſtrictè. Latè accipitur pro qualibet rei mutatione

ne, ſecundùm accidens, quo pacto alteratur intellectus, dum fit de novo intelligens. Strictè accipitur, pro mutatione ſubjecti in qualitatibus per ſe, & proximè diſponentibus ad generationem, & corruptionem ſubſtantialem, quæ propterea, ſolis corporibus generabilibus convenit. Hoc pacto diſponunt ſolæ qualitates contrariæ, aut mediæ. Dicuntur qualitates contrariæ, quæ ſub eodem genere maximè diſtant, & mutuò ſe expellunt ab eodem ſubjecto, ut calor & frigus, humiditas & ſiccitas, albedo, & nigredo, & ſimilia. Qualitates mediæ ſunt quæ inter contrarias continentur, atque adeo non maximè diſtant, ut rubedo, & viriditas, quæ ſunt inter albedinem, & nigredinem. Senſus ergò Ariſtotelicæ definitionis eſt, quòd alteratio eſt mutatio de qualitate in qualitatem contrariam, aut mediam, remanente eodem ſubjecto ſenſibili, ideſt toto, ad differentiam generationis ſubſtantialis, in qua non remanet idem totum, ſed producitur aliud.

Dupliciter accipi poteſt alteratio, ſcilicet ſecundùm extenſionem, vel ſecun-

ſecundum intenſionem. Extenſio qualitatis eſt motus, quo qualitas ab una in aliam partem ſubjecti propagatur e. g. cum in ligno bipalmari calor à primo palmo ligni ad ſecundum palmum extenditur. Intenſio verò eſt motus, quo qualitas augetur in eadem parte ſubjecti e. g. cum idem palmus ligni, qui erat calidus, fit magis calidus. Vtroque modo accepta videtur manifeſtum, quòd ſit motus ſucceſſivus: experientia enim conſtat, quòd lignum approximatum igni priùs calefit in parte viciniori, & deinde in minùs vicina, atque adeo quòd ſucceſſivè extenditur calor. Similiter aqua igni ſuperpoſita, ſucceſſivè magis, ac magis calefit, atque adeo ſecundùm intenſionem alteratio eſt motus ſucceſſivus. Hujus ſucceſſionis alii alias aſſignant cauſas, ſed probabilius eſt id provenire ex natura ipſarum qualitatum, quatenus qualitates, quæ contrarium habent, poſcunt ex natura propria, ita extendi, & intendi, ut primus gradus diſponat ſubjectum ad ſecundum, ſecundus ad tertium, & ſic de reliquis, ultimus verò diſponat immediatè ad formam introducendam.

Dubi-

Dubitari ſolet à nonnullis, an motus alterationis ſicuti eſt ſucceſſivus, ita ſit continuus; contendit enim Capreolus, non eſſe continuum, dicens, quòd agens poſt ſingulos gradus qualitatis quieſcat, & diſponat ſubjectum ad gradum ulteriorem. ſed abſolutè continuum eſſe talem motum dicendum eſt; nam agens neceſſarium debitè approximatum paſſo agit neceſſariò; ergò non quieſcit, ſed continuatè agit. Rurſus in eo inſtanti, quo Capreolus dicit, agens quieſcere, & diſponere interea ſubjectum, peto; vel diſponit aliquid agendo, vel nihil: ſi aliquid agendo, ergò alterat, & ſic ab alteratione non quieſcit, ſed eam continuat: ſi nihil agit, ergò non diſponit, ſed manet otioſum, quod eſt abſurdum dicere de agente neceſſario. Nec nobis repugnat Ariſtotelis auctoritas dicentis 8. Phyſic. text. 23. quòd *qui dicunt rem continuò alterari, repugnant manifeſtis*; ibi enim non dicit Philoſophus alterationem non eſſe continuam, ſed ſolum dicit, omnem alterationem tandem habere finem, nec procedere in infinitum: omnis enim motus naturalis, qualis eſt altera-

teratio, ordinatur ad quietem, in qua terminatur. His explicatis.

QVÆSTIO I.
Vtrum intenſio qualitatis fiat per additionem gradus ad gradum.

SVpponit titulus quæſtionis dari qualitatum aliquarum intenſionē modo ſuperiùs explicato; experientia enim conſtat, eamdem aquam, & manum paulatim fieri calidiorem ſecundùm eamdem partem:quod etiam habet locum in qualitatibus, & ſubjectis ſpiritualibus, in quibus qualitas intenſionem evidenter recipit; ſic amor circa Deum paulatim fit intenſior. Quare meritò iam ab omnibus reiicitur ſententia Gotfredi quodl. 2. qu. 3. Durandi, Porretani, & Niphi, qui dixerunt, non dari qualitatum intenſionem, ſed imperfectam qualitatem deſtrui, & ejus loco ſubſtitui aliam perfectiorem. Suppoſita qualitatum intenſione, variæ ſunt circa ipſius modum ſententiæ.

Prima eſt Thomiſtarum dicentium, intenſionem qualitatis fieri per hoc, quòd eadem qualitas indiviſibilis, manens in ſua entitate, perfectiùs, & perfectiùs afficiant ſubjectum, ſeu magis,

ac magis radicetur in eadem parte ſubjecti. Inter ſe tamen diſcrepant in modo explicandi talem majorem radicationem. Alii enim dicunt conſiſtere in hoc, quòd eadem indiviſibilis qualitas ſecundum eſſentiam habeat in eodem ſubjecto diverſas exiſtentias, unam alia perfectiorem, ita ut intenſior ſit, cum perfectiorem exiſtentiam haber; minùs verò intenſa, ſeu remiſſa, cum habet exiſtentiam imperfectiorem; ità Ægid. quodl. 2. quæſt. 14. & Aſtudillo. Alii putant maiorem radicationem in eo conſiſtere, quòd eadem indiviſibilis forma, ſeu qualitas magis, ac magis educatur de potentia ſubjecti, ita Caiet. 1. 2. quæſt. 52 art. 2. Alii dicunt majorem radicationem conſiſtere in hoc, quòd eadem qualitas plus contrarii, & diſpoſitionum ſibi repugnantium expellat. Alii denique volunt conſiſtere in eo, quòd eadem qualitas perfectiùs uniatur ſubjecto.

Secunda Sententia eſt eorum, qui dicunt, quòd intenſio qualitatis fit per hoc, quòd gradui, ſeu parti qualitatis præexiſtenti in ſubjecto, addatur alia, & alia pars eiuſdem qualitatis, ſicuti

ſicuti cum ex divite fit aliquis magis dives, quando præexiſtentibus divitiis, aliæ adduntur, ita ex calido fit ſubjectum magis calidum, cum calori præexiſtenti additur alia pars caloris; ita Scotus, Suares, & Nominales.

Dico, Intenſio qualitatis non fit per majorem radicationem in ſubjecto, quocumque tandem modo ex aſſignatis explicetur talis radicatio, ſed fit per additionem partis ad partem, ſeu gradus qualitatis ad gradum.

Concluſio duas continet partes, ut eſt manifeſtum, ideoque priùs probabitur, quòd intenſio non conſiſtat in majori radicatione, deinde quòd conſiſtat in additione gradus ad gradum qualitatis.

Probatur prima pars, & quidem, quòd non intendatur qualitas per acquiſitionem perfectioris exiſtentiæ. Primò, quia in ſententia veriori non diſtinguuntur in re eſſentia, & exiſtentia, ergò eſt impoſſibile variari unam invariata altera. Secundò quia etiam dato, & non conceſſo, quòd diſtinguerentur in re eſſentia, & exiſtentia, per Adverſarios exiſtentia eſt intrinſecus actus eſſentiæ actualis;

ergò

ergò eſt naturaliter inſeparabilis ab eſſentia: ergò fieri naturaliter nequit, ut in alteratione ſeparetur una exiſtentia, & ſuccedat alia. Tertiò quia talis exiſtentia, vel eſt indiviſibilis, vel diviſibilis. Si eſt indiviſibilis, & deſtructa priori imperfectiori ponitur alia, ſequitur, quòd in remiſſione, dum aqua refrigeratur, produceret in ſe calorem, ſicuti enim intenſio fit per deſtructionem imperfectioris exiſtentiæ, & productionem perfectioris ab agente calefaciente, ita remiſſio fiet per deſtructionem perfectioris exiſtentiæ, & productionem imperfectioris ab agente refrigerante, ſcilicet ab aqua; ergò aqua producet in calore exiſtentiam caloris imperfectiorem & imperfectiorem: ergò aqua dabit exiſtentiam calori: ſed dare rei exiſtentiam eſt ipſam producere: ergò aqua producet calorem. Si exiſtentia eſt diviſibilis, & priori imperfectæ additur nova pars, quæ ipſam reddit perfectiorem, idem meliùs dici poteſt de eſſentia qualitatis e. g. caloris, quia vitantur omnia inconvenientia hactenus adducta. Denique quia agens non eſt minùs potens circa exiſten-

tiam

tiam quàm circa eſſentiam formæ; ergo, ſi ſimul inducit totam, & perfectam eſſentiam formæ, inducet etiam ſimul totam, & perfectam ejuſdem exiſtentiam, ergo ſalvari nequit ea major radicatio per productionem perfectioris exiſtentiæ.

Prob. II. quòd ſalvari nequeat per hoc, quòd eadem indiviſibilis qualitas magis, ac magis educatur de potentia ſubjecti, quia talis forma, ſeu qualitas per Adverſarios eſt indiviſibilis; ergò cum primum cœpit eſſe in ſubjecto, fuit educta tota de potentia ſubjecti alioquin in re indiviſibili daretur, quòd ſecundùm aliquid eſſet educta, & ſecundùm aliquid eſſet adhuc in potentia, quod repugnat rationi indiviſibilis; ergò nequit magis, ac magis educi: ſi enim tota priùs educta eſt, quid eſt id, quod de novo educitur?

Reſpondent magis educi eſſe idem, quod magis, ac magis uniri ſubjecto.

Sed contra; quia vel talis unio eſt indiviſibilis, & ita deſtructa imperfectiori producitur alia perfectior; vel eſt diviſibilis, & ita augetur per additionem novæ partis. Quidquid dicatur, recurrunt in ipſa eadem ab-

ſurda, quæ adducta ſunt contra primam ſententiam de exiſtentia, ut per ſe patet; ergò nequit ſalvari magis educi per magis uniri. Denique magis uniri nihil aliud ſonat, quàm uniri tenaciùs; ſed calor magis intenſus non unitur tenaciùs ſubjecto, quàm calor remiſſus, experientia enim docet, quòd remoto igne calefaciente deſinit ſtatim calor ſummus, ſeu intenſus, cum diutiùs perſeveret remiſſus in quovis calefactibili; ergò calor intenſus non magis unitur.

Prob. III. quòd non rectè ſalvetur intenſio per abjectionem contrarii. Primò quia ſi in hoc conſiſteret intenſio, nunquam poſſet fieri niſi per talem abjectionem, ſicuti quia eſſe hominis conſiſtit in animali rationali, nunquam poteſt eſſe homo, niſi ſit animal rationale: ſed poteſt fieri intenſio, imo fit de facto ſine abjectione contrarii; ergò, &c. Min. patet, nam in omnium ſententia lux contrarium non habet, & tamen intenditur in aere per majorem luminoſi corporis applicationem: charitas intenditur in anima juſti, & tamen non habet contrarium, quod ex illa expellat: ergò, &c.

Prob.

Prob. iam IV. quòd intenſio fiat per additionem gradus ad gradum. Virtus qualitatis nihil aliud eſt, niſi entitas ipſius qualitatis; cum enim qualitas ſit virtus, non datur virtus virtutis, alioquin daretur proceſſus in infinitum: ſed in intenſione augetur virtus qualitatis: ergò augetur entitas qualitatis. Confirm. quia ex eo dicitur aliquid magis, & minùs tale, quia plus, vel minùs habet de qualitate, ut patet in luce, calore, in charitate, ſcientia, &c. ergò intenſio qualitatis fit per additionem qualitatis. Hoc non obſcurè videtur ſenſiſſe ipſe D. Thom. 2. 2. quæſt. 24. art. 4. ad 3. dicens. *Dicendum quòd quidam dixerunt charitatem non augeri ſecundùm ſuam eſſentiam, ſed ſolum ſecundum radicationem in ſubjecto, vel ſecundùm fervorem: ſed hi propriam vocem ignoraverunt: cum enim accidens ſit, ejus eſſe eſt ineſſe. Unde nihil eſt aliud ipſam ſecundùm eſſentiam augeri, quàm eam magis ineſſe ſubjecto, quod eſt magis eam radicari in ſubjecto. Similiter etiam ipſa eſſentialiter eſt virtus ordinata ad actum; unde idem eſt ipſam augeri ſecundùm eſſentiam, & ipſam habere efficaciam ad producendum ferventioris dilectionis actum.*

Ob. I. Si dulci addatur amarum, minùs ſentitur dulcedo, quàm quando hæc eſt pura amarities; ergò pariter dici poteſt, calorem eſſe magis intenſum conſiſtere in hoc, quòd ſit magis depuratus a frigore.

Reſp. Ex dictis ſuperiùs ſatis patet reſponſio ad hanc difficultatem, nam cum fiat de facto intenſio charitatis, & gratiæ in anima juſta, in qua ſcilicet, non eſt peccatum contrarium, liquet intenſionem non conſiſtere in depuratione a contrario.

Ob. II. cum Durando. In motu, dum mobile acquirit terminum *ad quem*, deſerit terminum *a quo*: ſed in motu intenſionis terminus *a quo* eſt v. g. calor minor; ergò dum ſubjectum acquirit majorem, relinquitur, ſeu deſtruitur minor.

Reſp. Diſtinguo minorem: terminus *a quo* eſt calor minor formaliter concedo, materialiter, nego minorem, & conſequentiam. Terminus igitur *a quo* intenſionis eſt calor, non qua calor eſt meterialiter, ſed quatenus minor eſt, nimirum in quantum, dicendo privationem ulterioris caloris, conſtituitur in illa denominatione minoris, & quia addendo

ali-

alium caloris gradum, ceſſat illa privatio in priori calore, ſubjectum non relinquit calorem præexiſtentem, ſed habet illum ſine privatione, quæ per additionem alterius ceſſavit, atque adeo ceſſat non materialitas, ſeu entitas præexiſtentis caloris, ſed formalitas illa minoritatis, quæ conſtituebatur per privationem, ſicuti cum ex minùs divite fit quis magis dives, relinquit non præexſiſtentes divitias, ſed deſinit eſſe illa denominatio minùs divitis, dum expellitur privatio per additionem aliarum divitiarum.

Ob. III. Si intenſio fieret per additionem gradus ad gradum, ſpatio unius horæ producerentur infiniti gradus caloris, & ita calor eſſet infinitè intenſus: ſed hoc eſt abſurdum; ergò, &c. Sequela probatur, quia ſingulis horæ partibus produceretur unus gradus: ſed partes horæ ſunt infinitæ; ergò produceretur horæ ſpatio infinitus calor.

Reſp. Negata ſequela, nego pariter minorem ipſius probationis, ut enim patet ex dictis in Phyſica componitur tempus ex inſtantibus indiviſibilibus, ſicuti ex punctis phyſicis componitur continuum, & conſe-

quenter horæ inſtantia licet virtualiter in infinitum diviſibilia ſint, ſunt tamen realiter indiviſibilia, & finita.

Quæres an tales gradus intenſionis ſint homogenei, vel heterogenei.

Reſp. eſſe homogeneos. Ratio eſt, quia nulla eſt neceſſitas aſſerendi ipſos eſſe heterogeneos, ſeu diſſimiles, ut enim intelligatur calor de minùs intenſo fieri magis intenſus, ſufficit ſi intelligantur gradus omnino ſimiles. Rurſus ad hoc ut quantitas de minori fiat major, ſufficit, ut addatur ipſi pars omnino ſimilis; ergò ut calor de minùs intenſo fiat magis intenſus, ſufficit ſi addatur ipſi gradus omnino ſimilis; ergò tales gradus intenſionis ſunt homogenei.

QVÆSTIO II
Quænam qualitates ſint capaces intenſionis.

Diviſionem qualitatis attulit Ariſt. tum in Prædicamentis, tum in 5. Metaph. c. 14. hic obſcuriùs, ibi clariùs. Quatuor ejus ſpecies, & unãquamque in duo membra diviſam enumeravit, ſcilicet diſpoſitionem, & habitum naturalem: potentiam, & impotentiam: paſſionem, & paſſivam qua-

qualitatem: figuram, & formam.

Diſpoſitio (ut ait idem Philoſophus 5. Metaphiſic. c. 19.) eſt ordo habentis partes. Poteſt hoc accipi, vel impropriè, vel propriè. Accipitur impropriè, ſi nomine ordinis intelligatur ipſa ordinis relatio, quæ reſultat inter partes rei, quæ partibus conſtat. Accipitur propriè, ſi nomine ordinis intelligatur rei totius conſtitutio, & quaſi forma conſurgens in toto ex collocatione partium ſuis locis.

Habitus eſt forma facilitans potentiam ad operandum. In hac ſignificatione ſemper eſt qualitas, & ſub hac ratione primam ſpeciem qualitatis conſtituit.

Potentia eſt principium proximum connaturale agenti creato ad aliquid agendum, ut intellectus, & voluntas in homine.

Impotentia hic non ſumitur pro negatione potentiæ; (negatio enim non modò ad genus qualitatis non pertinet, ſed neque ad ullum genus entis) ſed accipitur pro infirma potentia, ſeu pro imbecillitate ad agendum, vel patiendum, ut eſt imbecillitas oculi ad videndum, imbecillitas memoriæ ad retinendum.

Paſſio eſt qualitas tranſiens per alterationem ſenſibilem producta e. g. rubor vultus ex verecundia.

Paſſiva, ſeu paſſibilis qualitas eſt illa qualitas, quæ per ſenſibilem alterationem producta diutiùs perſeverat, ſic eſt calor ab igne per alterationem productus in aqua, ligno, &c.

Figura eſt quidam modus reſultans in corpore ex terminatione magnitudinis e. g. quadrata, trilatera, rotunda, &c.

Forma eſt figuræ pulchritudo, ſeu ipſamet figura pulchritudinem includens.

Dico. Solæ qualitates primæ, & tertiæ ſpeciei ſunt capaces intenſionis.

Prob. quia ſolæ qualitates primæ, & tertiæ ſpeciei habent omnia requiſita ad latitudinem intenſivam; ergò illæ ſolæ ſunt intenſionis capaces. Antecedens prob. nam requiſita ad latitudinem intenſivam ſunt; primò fieri per proprias actiones, & non per dimanationem naturalem; aut ſi dimanent, quòd habeant contrarium, a quo poſſint impediri, & minui; ſecundò quòd ex vi ſuæ rationis eſſentialis non importent indiviſibilitatem repugnantem latitudini intenſivæ

ſivæ: ſed hæc habent qualitates primæ, & tertiæ ſpeciei tantùm, quæ propterea reddunt ſubjectum modò magis, modò minùs tale, ut patet in habitibus ſcientiæ, artis, & ſimilibus; in pulchritudine, ſanitate, calore, &c. econtra verò ſecunda, & quarta ſpecies carent prædictis requiſitis, ac propterea non poſſunt reddere ſubjectum modò magis, modò minùs tale, ſic intellectus, uoluntas, & aliæ potentiæ non faciunt rem modò magis, modò minùs intellectivam, & volitivam; figura triangularis manens triangularis non facit modò magis, modò minùs triangulare; ergò non ſunt intenſionis capaces.

DISPVTATIO III.

De Mixtione.

CVm elementa, nempe terra, aqua, aer, & ignis pugnando ad invicem, & ſeſe mutuò frangendo ad certam quamdam qualitatum temperiem rediguntur, quæ formam ſubſtantialem a formis elementorum ſpecie diversã exigit, tunc fit mixtio,

& corpus, quod tali forma informatur, vocatur mixtum: ipſa vero elementa dicuntur miſcibilia. De mixto, & mixtione agemus in præſenti, de quibus in ſecundo libro tractat Philoſophus.

QVÆSTIO I.
Quid ſit Mixtum, & Mixtio.

DIco Primò *Mixtum eſt ens mobile ex miſcibilibus alteratis ſub nova forma ſubſtantiali unitis conſtans*. Dicitur *ex miſcibilibus alteratis*, ideſt ex ſubſtantiis elementorum, quæ virtute, & ſecundùm qualitates remanent. In hoc differt mixtum propriè tale ab elemento, in quod aliud elementum tranſmutatur, e. g. dum aer tranſmutatur in ignem, non remanet aer in igne ſecundum proprias virtutes, & qualitates, licet enim in igne remaneat materia aeris affecta calore, tamen calor ille non eſt proprietas aeris, nam eſt in igne calor ſimpliciter, cum in aere non eſſet calor ſimpliciter ſed calor humidus, ſcilicet ſub tali modo eſſendi. Dicitur *ſub nova forma ſubſtantiali unitis*: ut intelligatur elementa, ex quibus fit mixtum corrumpi ſubſtantialiter, &

infor-

informari unica forma. In hoc differt mixtum propriè ab aggregato, ſeu mixto per accidens, quod conflatur ex mera poſitione locali multorum ſimul corporum retinentium proprias formas, ut patet in acervo tritici, arenæ, & ſimilibus.

Dico II. *Mixtio eſt generatio mixti ex miſcibilibus alteratis*. Dicitur *generatio*, ut diſtinguatur a mera unione, & confuſione plurium, ut dum fit pharmacum ex confuſione plurium lapidum, herbarum, &c. Dicitur *ex miſcibilibus alteratis*, ideſt prævia ipſorum alteratione redactis ad temperamentum exigens novam formam ſubſtantialem juxta id, quod inquit Ariſt. lib. 1. de generat. cap. 10. de mixtione, quòd ſit *miſcibilium alteratorum unio*. Dixit *alteratorum* potiùs, & non *corruptorum*, ut inſinuaret miſcibilia non omnino perire, ſed, licet corrumpantur quoad proprias formas, manere virtute, & ſecundum qualitates non integras, ſed remiſſas.

Ex dictis colligitur ad mixtionem propriè talem quatuor requiri. Primum eſt, ut miſcibilia ſint mutuò activa, & paſſiva, ita ut poſſint ſe mutuò corrumpere. Secundò ut mi-

ſcibilia ſint ſimul, alioquin nec mixtio, nec mixtum ex eis fieri poſſet. Tertio ut miſcibilia ſint invicem ita diviſibilia, ut mutuò unum aliud pervadat, alioquin quælibet pars mixti non eſſet mixta. Quartò ut miſcibilia de facto agant, & ſe mutuò corrumpant, donec ex totali maſſa corruptorum educatur forma ſubſtantialis mixti, & ſic fiat totum a miſcibilibus diverſum.

Corruptio mixti tunc fit, cum introducuntur diſpoſitiones contrariæ, per quas expulſa veteri forma inducitur nova, ut patet in corruptione ligni, hominis, &c. Aliqua corruptio dicitur fieri per putrefactionem, quæ ex eo procedit, quòd per humidum reſoluto ſale, aut vi caloris diffluente humido, & exhauſto ſimul, tale corpus corrumpitur; quare Ariſt. 4. Meteor. c. 1. ait putrefactionem oriri in humido ab externo calore ambiente.

Vt hoc meliùs intelligatur, ſciendum eſt, unicuique mixto ſaltem virtualiter ineſſe ſalem quendam innatum; patet experientia, nam per artem pyrotechnicam ex quolibet mixto ſal ſegregatur. Dicitur *ſal* non

quia

quia ſit ſal communis, & mineralis, qualis eſt ille, quo utimur in condiendis cibis, ſed quia per proportionem ad ipſum eſt ſapidus, & diverſi generis ſapores in mixto cauſat. Similiter eſt in mixtis id, vi cujus non corrumpuntur, ſunt ſolida, ſicca, & generant, habetque vim abſtergendi, & purgandi, quare ſublato tali ſale mixtum currumpitur.

Quoniam verò ſal præcipuè per humidum reſolvitur, fit quandoque, ut vi caloris externi rarefactis mixti partibus, & dilatatis ipſius poris, vel ſubintret humidum, quo ſalis virtus reſolvitur, vel per poros ſic dilatatos diffluens ipſum humidum innatum, ſimul exhauriat etiam virtutem ſalis, qua exhauſta putrefit corpus. Hanc ob cauſam æſtate, aut in locis calidis faciliùs putrefiunt carnes, fructus, & alia ſimilia, quæ hyeme, & in locis frigidis diutiùs conſervantur. Hinc etiam fit, quòd mixta quò majorem ſiccitatem naturalem habent, eò minùs ſunt obnoxia putredini, ut patet in lignis cedro, ſycomoro, & aliis.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

An ſicuti idem mixtum ſit ex pluribus miſcibilibus, poſſit etiam a pluribus cauſis totalibus ejuſdem generis, & ordinis ſimul produci.

POſſe plures cauſas totales diverſi generis, & ordinis eumdem numero effectum naturaliter producere nullus iam dubitat, ut patet de materia, & forma, quæ ſingulæ in proprio genere ſunt cauſę totales ejuſdem compoſiti, una in genere cauſæ materialis, & altera in genere cauſæ formalis, quia unaquæque in ſuo genere ſufficit, & adhibet totam cauſalitatem neceſſariam in illo ordine, & ſingulæ habent ſuam cauſalitatem diverſæ rationis ab alia, nec componunt unam integram cauſam. Difficultas ergò reducitur ad plures cauſas totales ejuſdem generis, & ordinis.

Dico, non poteſt idem numero mixtum (& hoc valet de quovis alio effectu) produci ſimul a pluribus cauſis totalibus ejuſdem generis, & ordinis.

Prob. I. Implicat cauſam eſſe actu cauſam, & ſimul non eſſe cauſam:

ſed

ſed ſi duæ cauſæ totales ejuſdem generis, & ordinis ſupponerentur producere ſimul eumdem numero effectum, ſingulæ eſſent actu cauſæ, & ſimul non eſſent cauſæ; ergò, &c. Min. prob. quia id, quo non habito, nec intellecto, habetur tamen, & intelligitur produci aliquid, non eſt actu cauſa illius: ſed non habita, nec intellecta ſingula ex illis cauſis haberetur, & intelligeretur produci ille effectus; ergò ſingula ex illis eſſet actu cauſa, ut ſupponitur, & ſimul non eſſet actu cauſa. Major eſt certa, ideo enim cognoſcitur, & rectè deducitur, quòd veſtis Petri non ſit actu cauſa Petri, quia non habita, nec intellecta veſte, adhuc habetur & intelligitur produci, & perfectè poni Petrus; cum econtra ideo intelligatur, & cognoſcatur Paulus eſſe cauſa Petri, quia habito, & intellecto Paulo agente, ſeu generante, habetur, & intelligitur poni Petrus: non habito verò, nec intellecto Paulo generante, non intelligitur produci Petrus. Min. pariter eſt indubitata, quia ſi ſupponantur A. & B. eſſe cauſæ C. non habita ſingula ex illis, adhuc æquè benè, & perfectè habetur

tur, & intelligitur produci C. ergò ſingula ex illis cauſis non eſt actu cauſa, & ſimul eſt actu cauſa ex ſuppoſitione; ergò implicat contradictionem duas cauſas totales ejuſdem generis, & ordinis producere ſimul eumdem numero effectum; ergò eſt impoſſibile.

Prob. II. quia implicat Deum, & Naturam aliquid agere fruſtra, juxta illud. *Opus naturæ opus intelligentiæ;* & Deus nequit niſi ſapientiſſimè operari: ſed ſi duæ cauſæ totales ejuſdem generis, & ordinis applicarentur ad eumdem numero effectū producendum, altera ex actionibus illarum cauſarum eſſet fruſtra; ergò, &c. minor probatur, quia illa actio eſt fruſtra, per quam nihil habetur ultra ipſam, quod non habeatur, etiamſi ipſa non ſit: ſed etiamſi non ſit quælibet ex actionibus illarum cauſarum, habetur plenè, & perfectè ille effectus; ergò altera ex actionibus illarum cauſarum eſſet fruſtra; ergò implicat.

Ob I. Cauſa neceſſaria agit quantùm poteſt; ergò ſi duo ignes eodem inſtanti approximentur eidem ſtuppæ ſinguli totaliter comburent eamdem

ſtup-

ſtuppam ; ergò producent ut cauſæ totales eumdem numero effectum.

Reſp. diſt. Ant. Agit quantùm poteſt in iis circumſtantiis, in quibus eſt, concedo; in quibuſlibet circumſtantiis, nego. In ea igitur circumſtantia, qua ſupponuntur duo ignes applicati eidem ſtuppæ, producunt citiùs in ipſa calorem, & ignem, quàm produceretur, ſi eſſet applicatus unus tantùm ignis, quare illi duo ignes intra inſtans temporis producent exem. gratia octo gradus caloris, quando ſunt ſimul uniti, & applicati, qui ſi non eſſent ſimul, ſinguli intra illud inſtans producerent ſolum quatuor gradus.

Ob. II. Plures Sacerdotes conſecrantes eamdem numero hoſtiam, ſunt ſinguli cauſæ totales exiſtentiæ Chriſti Domini ſub ſpeciebus Euchariſticis; ergò plures cauſæ totales producunt ſimul eumdem numero effectum.

Reſp. quòd plures Sacerdotes, cum agant unica virtute, videlicet virtute Chriſti Domini, non ſunt plures cauſæ, ſed unica: ratio enim cauſæ, & ejus, ſive unitas, ſive multiplicitas deſumitur a virtute influente, cum

ergò

ergò virtus per illos Sacerdotes influens in exiſtentiam Corporis Chriſti ſub illis ſpeciebus ſit unica in omnibus, illi plures Sacerdotes non ſunt plures cauſæ, ſed una; ideoque non ſequitur, quòd plures cauſæ totales in eumdem numero effectum influant.

IN QVATVOR
ARISTOTELIS
LIBROS
METEORORVM.
DISPVTATIO VNICA.

Poſtquam de mixtis perfectis, ideſt ſubſtantialibus egit Ariſtoteles, quatuor meteororum libris mixta imperfecta, ideſt, accidentalia comprææhendit. Dicitur fieri mixtum accidentale ſeu imperfectum, quando per ſolam alicujus qualitatis impreſſionem aliquid fit, non mutata ſubſtantiali forma, e. g. cum ex aqua fit vapor, qui retinet ſubſtantialem aquæ formam, & ſolum imprimitur ipſi calor; idem dicitur cum ex aqua fit nix, glacies, &c. De his mixtis imperfectis hac diſputatione tractabimus eam pluribs diſtinguendo capitibus, ut brevitati aquè, ac claritati conſulamus.

CA-

CAPVT I.

Quid ſit vapor, & quid exhalatio.

TErra, & aqua ſecundum ſui partes diverſas, recipiunt vel a cœlo, vel ab aliis cauſis diverſas impreſſiones, calidas, frigidas, lucidas &c. ex quibus diverſi producuntur effectus, qui ideo dicuntur *Meteora*, ideſt ſublimia, ſeu elevata, quia plerumque fiunt in aere, ut ſunt cometæ, fulmina, tonitura, fulgura, nubes, pluviæ, &c. Horum omnium materia ſunt vapor, & exhalatio.

Vapor eſt halitus humidus, & calidus, qui ex aqua, & aliis corporibus humidis ſublevatur, qualis eſt fumus ille, qui ex olla ebulliente aſcendit.

Exhalatio eſt halitus terreus, calidus, rarus, & levis, qui ex terra, & corporibus terreis aſcendit, quare juxta qualitates, & conditiones corporum varias, variæ quoque exhalationes oriuntur, ſic ex terra pingui, unctuoſa, & viſcoſa educuntur exhalationes pingues, unctuoſæ, & viſcoſæ, quæ ut ſuo loco dicemus ſunt ordinaria fulminum materia: ex

terra

terra ſicca procreantur exhalationes ſiccæ, quæ ventis generandis inſerviunt. Vapor, & exhalatio dicuntur meteora primæ compoſitionis: ea verò, quæ fiunt ex vapore, & exhalatione dicuntur meteora ſecundæ compoſitionis.

Loca, in quibus generantur meteora, ſunt terra, aqua, & aer, licet, ut nuper dixi, plurima fiant in aere.

CAPVT II.
De Meteoris ignitis.

MEmoria recolendum hic eſt, aerem dividi in tres partes, ſeu regiones, infimam, mediam, & ſupremam. Infima eſt, quæ a ſuperficie terræ, & aquæ protenditur, uſque ad eam partem, in qua ſolarium radiorum reflexio deſinit. Suprema eſt, quæ concavo sphæræ ignis proximè ambitur. Media eſt, quæ inter has duas intercipitur. Infima, & ſuprema calidæ ſunt, hæc propter propinquitatem ignis, illa propter reflexionem ſolarium radiorum, & copia exhalationum, quæ plurimæ e terra conſurgunt, & ipſam afficiunt.

Me-

dia eſt frigida tum quia ad ipſam nec calor ignis, nec radii ſolaris reflexio penetrant, tum etiam propter vapores, qui cum ſint aqueæ naturæ, atque adeo frigidi, & in ea aeris parte conſiſtant, reddunt regionem illam frigore affectam, tum denique quia Auctor naturæ ſua, qua mundum gubernat, providentia peculiari frigore ipſam ditavit, ut ad pluvias, & alia ad generis humani conſervationem neceſſaria procreanda, redderet aptiorem. His poſitis.

Meteora ignita dicuntur, quę flammā concipiunt, aut flammam repræſentant, ut ſunt cometæ, lanceæ, capræ ſaltantes, ſydera diſcurrentia, fulgura, fulmina, tonitrua, ignis fatuus, ignis lambens, Caſtor, Pollux, & Helena, de quibus ſingulis agendum eſt.

CAPVT III.
De Cometis.

COmeta alius eſt cœleſtis, alius ſublunaris. De cœleſti agemus infra, nunc explicare libet ſublunarem. Fit cometa ſublunaris, quando magna copia exhalationis unctuoſæ,

ſæ, & pinguis vi caloris ſolaris, & aſtrorum ad ſupremam aeris regionem attracta concipit flammam, aut propter ſuam opacitatem, ſolares radios reflectit, & inſtar novi ſyderis fulget.

Fieri infra lunam cometas aliquos clarè demonſtrat paralaxis, quam habent valdè majorem, quàm habeat luna.

Aliquos eorum fieri per accenſionem, alios verò per radiorum ſolarium reflexionem dubitari non poſſe videtur, nam variis temporibus, & noſtris præcipuè, quibus plures vidimus, non ſemel obſervatum eſt, quòd aliqui caudam modò ad unam, modò ad aliam cœli partem juxta varium ſolis aſpectum verterunt, ita ut ſingulis noctibus eadem periodo, & ordine hanc mutationem facerent, quod ſane non aliunde contingere potuit, niſi ex eo, quòd ſecundum diverſitatem ſolaris aſpectus diverſa fiebat radiorum reflexio. Alii vero caudam ſemper ad eamdem cœli partem habuere converſam, quod utique non accidiſſet, ſi per ſolaris radii reflexionem fuiſſent conſtituti; quare ſignum evidens eſt, quòd

erant


erant facti per accenſionem materiæ.

Cometarum aliquot etiam fieri in regione cœleſti certiſſimum eſt; nam eorum quidam obſervati ſunt habere paralaxim longè minorem, quàm luna, & ſol, imò ab ipſa luna, & ſole ocultabantur; quæ utique fieri non potuiſſent, ſi infra cœleſtem regionem extitiſſent. Duplici pacto fieri poſſunt hi cœleſtes cometæ: primo ſi multæ partes primi cœli, ſcilicet planetarii, quod fluidum eſt, addenſentur, & ſic addenſatæ, lucem reflectant: ſecundo ſi Angelorum miniſterio plures ex minoribus planetis, quales ſunt illi, qui a Galilæo, & aliis fuere obſervati, ſimul conglobentur, præter communem ordinem naturæ, & ſic conglobati velut quoddam magnum ſydus conſtituant: hoc fieri conſuevit, cum Deus ad prænunciandas futuras calamitates hos veluti prodromos præmittere dignatur, ut imminentis cladis homines præſcii a ſuis ſe retrahant vitiis, propter quæ in humanum genus ira Dei deſævire parat.

Figura cometarum varia eſt, ſed ut plurimùm ſunt, vel criniti, vel bar-

barbati, vel caudati. Criniti dicuntur cum radii quidam inſtar crinium, ipſum cometæ diſcum comitantur: barbati dicuntur qui breviori radiorum diffuſione ex una ſui parte barbam præſeferunt: caudati ſunt qui longiori diffuſione radiorum ex una ſui parte caudam oſtendunt.

crinitus barbatus caudatus



Motus cometarum aliquando eſt regularis juxta motum cœlorum, ut patuit in cometa anni 1533. qui ab occidente in orientem regulari periodo ferebatur, & in aliis, qui ſimilem motum habuiſſe ſunt obſervati. Id fit cum cometa eſt cœleſtis. Aliquando verò irregulari motu huc, & illuc fertur; & hoc ſequitur quando cometa eſt ſublunaris,

præſertim ſi per accenſionem factus ſit, materia enim illa, utpotè leviſſima facilè locum mutat.

Præſagiunt cometæ ſiccitates, morbos, intemperies, mortes virorum Principum, bella, ſeditiones, mutationes regnorum, & alia ſimilia, ut experientia plurium ſæculorum demonſtravi, & noſtris temporibus abunde obſervare potuimus; cometa enim magnus, qui anno circiter 1668. apparuit, & per annum ferè duravit, omnes Europæ Regias funeſtavit, & eorum, quæ adhuc vigent, bellorum prænuncius fuit. Alter, quem vidimus tribus ab hinc annis eas ingentes clades præſagiit, quas Deo duce Romanus Imperator Turcarum regnis intulit, aliaſque in Gallia, Anglia, Sicilia, Liguria, & alus regionibus turbas, & mutationes demonſtravit. Ratio cur iſta præſagiunt eſt, quia, ſi ſublunares ſint, coaleſcunt ex magna ſiccarum exhalationum copia, quibus aer plenus eſt, quæ exhalationes humori bilioſo, in colericis præcipuè excitando, & augendo, ſunt aptiſſimæ, quare hujuſmodi homines quodam ebullientis humoris æſtro corre-

pti

pti, in quemdam quaſi furorem ruunt, & ad ciendas turbas, motus, & alia huiuſmodi incumbunt, ac etiam non raró quidam ex ipſis inſaniunt. Peſſimæ pariter qualitatis exhalationes prædictæ inficiunt aerem, qui reſpiratus valde nocet complexionibus, & præſertim puerorum, & virorum Principum, qui delicato præ aliis vivendi generi aſſueti minùs reſiſtunt. Si veró fuerint cœleſtes producunt in inferiori orbe magnas mutationes, excitando vapores, & exhalationes, quibus inficitur aer, & ab aere temperamentum corporum, præſertim delicatiorum, qualia ſunt virorum Principum, puerorum, & ſimilium, qui propterea faciliùs veneficæ qualitati ſuccumbunt.

CAPVT IV.
De flamma, trabe, dracone volante, &c.

FLamma dicitur exhalatio quædam vel accenſa, vel lucem reflectens, quæ undique tam in longum, quàm in latum ferè æqualiter expanſa non habet figuram alterius rei, quàm flammæ, quæ expanditur dum in agris ſtipulæ accendun-

tur, quæ proinde nomine flammæ nuncupatur.

Trabs eſt exhalatio vel accenſa, vel lucem reflectens, quæ in longum horizontaliter, ſeu tranſverſaliter protenditur.

Fax eſt exhalatio conſimilis trabi, ſed verticaliter, ſeu una extremitate cœlum, alia terram reſpiciens.

Draco volans dicitur cum conſimilis exhalatio protenditur in longum, ſed in medio eſt latior, & circa ſuas extremitates attenuatur, & obliquo motu huc, & illuc diſcurrens veluti volare conſuevit.

Capra ſaltans eſt exhalatio, vel accenſa, vel lucem reflectens, quæ longitudinem majorem latitudine habens, habet ad latera nonnullas ſui partes non perfectè cohærentes reliquis, quæ propterea videntur quaſi ſcintillæ, ſeu pili caprarum; & quia illa ſcintillatio ipſam veluti ſaltitantem apparere facit, propterea capra ſaltans noncupatur.

Stellæ cadentes, ſeu diſcurrentes fiunt, cum exhalatio tenuiſſima in longum protenſa verticaliter accenditur in ſuperiore ſui parte, & ſucceſſivè magna velocitate reliquas inferio-

feriores partes inflammat eo modo, quo dum fumus lucernæ extinctæ, ſuppoſitæ alteri accenſæ inflammatur velociſſimè, & exſtinctam lucernam accendit, videtur flamma deſcendere, cum verè non deſcendat, ſed materiam illam ſucceſſivè comburat. Fieri etiam alio pacto poſſunt tales ſtellæ, cum videlicet globulus quidam exhalationis a frigore nubium ſuperexiſtentium truditur deorſum dum motu illo violento fertur verſus terram, caleſit magis, & magis, donec inflammatur, & ita veluti cadens ſtella conſpicitur: hujuſmodi ſtellæ fiunt ut plurimùm in infima regione aeris.

Ignis fatuus fit, cum exhalatio tenuis, & viſcoſa ex corporibus pinguibus elevatur, & in hac infima regione per motum, aut colliſionem intenditur, & huc, illucque facillimè fertur adeo, ut ad quemlibet aeris motum moveatur. Videntur hujuſmodi ignes frequenter in cæmeteriis, patibulis, & aliis locis, ubi tales fumoſitates ex corporibus mortuis extrahuntur.

Ignis lambens eſt flamma quædam, quæ crinibus hominum, & equorum aliquandò adhærere conſpicitur. Fit

hæc ex ſubtilibus, & viſcoſis exhalationibus, quæ ex corpore erumpentes attritu, vel motu accenduntur: quia tamen rariſſima, ſeu tenuiſſima eſt talis flamma, non nocet quidquam.

Caſtor, Pollux, & Helena ſunt quidam ignes, qui in magnis præcipuè tempeſtatibus apparent nautis, qui eos vulgari vocabulo appellant *Luce di S. Elmo*. Si ſit unus dicitur Helena: ſi duo appareant, dicuntur Caſtor, & Pollux. Fiunt autem ex fumoſitatibus, ſeu exhalationibus, quæ magno aeris, & aquarum attritu accenduntur, quæ ſi huc, & illuc diſcurrant, præſagiunt tempeſtatem duraturam, quia ſignum eſt exhalationes eſſe in motu: ſi verò circa navem, aut antennas conſiſtant, præſagiunt brevi quietaturam tempeſtatem, cum oſtendant exhalationes iam quieſcere.

CAPVT V.

De tonitru, fulgure, & fulmine.

TOnitru eſt fragor, ſeu vehemens ſonus, qui oritur ex ſubita rareſactione ſiccæ, & conglobatæ exhalatio-

lationis, quæ per nubem diſcurrit, & ad ejus latera impingit. Vt hoc facile intelligatis, ſcitote, quòd dum exhalatio ſicca, & calida ſurſum fertur, tranſitque per mediam aeris regionem, aliquæ ipſius partes a nubibus ibi coactis intercipiuntur, & ſiſtuntur: ſic interceptæ per antiperiſtaſim conglobantur, & magis incaleſcunt, donec eas magis, ac magis angente nubium frigore, huc & illuc moventur, & ſubito rarefactæ fragorem edunt: eo pacto, quo dum rareſit pulvis tormentarius, & exilit e bombarda, ſonum edit.

Fulgur fit cum exhalatio illa ignem concipit, & nubis latera perrumpens egreditur, videtur enim priùs illa coruſcatio, quam audiatur tonitru quia lux velociùs propagatur, quam ſonus.

Fulmen eſt exhalatio ejuſdem naturæ, ſed in magna copia, quæ ignem concipit, & ſubito impetu nubem diſrumpit; quare fulgur, & fulmen non alio diſtinguuntur, niſi quòd fulgur dicitur minor exhalatio, fulmen vero major.

Tria ſunt fulminum genera, ſcilicet penetrantia, diſſipantia, & urentia.

tia. Penetrantia conſtant exhalatione adeo tenui, ut per quoſuis anguſtiſſimos meatus aditum ſibi faciant. Diſſipantia conſtant exhalatione craſſiori, quæ interdum propter majorem terreſtreitatem defert ſecum nucleum lapideum, qui ex terrę materia, accedente calido ipſius exhalationis, & humido nubium circumſiſtentium, generatur in ipſa nube. Vrentia conſtant exhalatione craſſa, ſed non omnino durata, quæ propter denſitatem non penetrat, & quia dura non eſt, non ſcindit, ſed ſolum urit.

Inter fulminis effectus numerantur. Primò quòd aliquando animalium oſſa conſumit intacta cute: liquefacit enſem intacta vagina: vinum abſumit dolio minimè combuſto, aut diſrupto: hi, & ſimiles effectus fiunt, quando fulmen conſtat exhalatione ſubtiliſſima, quæ per quoſuis poros facilè permeat; quare corpora, quæ ſunt rariora, penetrat, quæ verò ſunt denſiora, quia penetrare nequit, frangit, & conſumit. Secundò conſumit aliquando cutem intactis oſſibus: vaginam intacto enſe; & id contingit quando fulmen conflatur exhalatione fumida, & craſſiori,

ri, quam corpora denſiora repellunt, rariora verò facile ab ipſa diſiiciuntur.

Quæ fulmine tacta ſunt, venenoſa eſſe ſolent, & hoc fit ex eo, quòd exhalatio illa, utpote ſulphurea, & nitroſa eſt conditionis maximè malignæ.

CAPVT VI.

De coloribus, hiatibus, voraginibus, & via lactea in cœlo apparentibus.

NOcturno tempore ſereno cœlo ſolent aliquando videri colores quidam ſanguinei, & punicei. Fiunt autem ſic: accenditur in ſuprema aeris regione aliqua exhalatio: ejus lumen dum tranſmittitur per vapores ſubjectos, qui in ſecunda regione reperiuntur, obſcuratur, & ita obſcuratum format colores apparentes eo modo, quo experientia docemur, quòd lumen obſcuratum plus, vel minùs a diverſis partibus vitri trigoni, varios facit apparere colores: ſi parum obſcuretur apparet color albus: ſi multùm obſcuretur, apparet color niger: ſi mediocriter obſcuretur, apparent colores medii. Videntur tamen illi duo

tantùm colores, quia color viridis, & alii ſimiles cum non valde differant a colore cœli, non diſcernuntur. Nec videntur interdiu tales colores, quia tunc magnitudo luminis ſolaris ſicuti impedit aſpectum ſtellarum, ita impedit aſpectum exhalationum accenſarum. Non videntur nubilo cœlo, quia opacitas nubium ſubjectarum impedit tranſmiſſionem luminis. Ex his ergò liquet tales colores non eſſe veros, ſed ſolum apparentes.

Hiatus, foveæ, & voragines quædam aliquando ſereno cœlo conſpiciuntur, ex quibus tanquam ex fornace videntur erumpere flammæ. Fiunt hæ, cum exhalationi luminoſæ exiſtenti in ſuprema aeris regione, circumfunduntur vapores obſcuri, & nigri, in quorum medio apparente lumine, formantur veluti aperturæ quędam flammis plenę eo modo, quo Pictores claris, & obſcuris coloribus uti ſolent ad ſimilia repræſentanda. Si talis apertura ſit oblonga dicitur vorago, & hiatus: ſi ſit lata, dicitur fovea.

Exercitus pugnantes cum equis, armis, & ſimilibus viſi ſunt quan-

doque

doque in aere. Hi non ſiunt caſu, ſed arte bonorum, aut malorum Angelorum, qui vapores conformando in eas ſimilitudines hominum, equorum, & armorum, ea ſpectra conficiunt ad varios fines a Deo intentos.

Via lactea ſunt parvæ ſtellulæ in firmamento, quæ propter ſui multitudinem, & propinquitatem ad invicem, efficiunt illum veluti candorem, & hoc eſt modò certiſſimum, cum ope teloſcopii clarè videantur.

CAPVT VII.

De iride, & pareliis.

IRis eſt arcus plurium colorum apparens in nube rorida, & opaca, ex reflexione radii ſolaris. Fit igitur ſubpluvio tempore, cum nubes, quæ in minutas guttas liqueſcere incipit, percutitur radiis ſolis oppoſiti, ita ut linea recta a centro ſolis tranſeat per centrum oculi noſtri, & centrum ipſius iridis.

Colores in iride apparentes ſunt præcipuè tres, primus, & ſupremus eſt puniceus, medius eſt viridis, infimus eſt purpureus. Hæc colorum varietas naſcitur ex ſæpius repetita ra-

diorum repercuſſione, quæ fit ab aliis guttis roridæ nubis ad alias.

Apparet iris in figuram ſemicirculi, quia ut dixi cum generetur tantùm ex reflexione radiorum ſolarium, quæ fit verſus illam lineam, quæ ducitur a centro ſolis per centrum noſtri oculi, & ipſius iridis, atque adeo radii omnes a nube ad punctum, & lineam dictam concurrant ſub angulis æqualibus, neceſſe eſt videri ſemicircularem, quia quæcumque videntur a nobis ſub angulis æqualibus, apparent ſemper habere æqualem diſtantiam ab oculo, ac proinde diſpoſita circulariter.

Videtur aliquando duplex iris, & hoc accidit, cum duplex nubes rorida, alia ſuperior, & alia inferior diverſo modo opponitur ſoli, & ad nos ejus radios repercutit. Ex ratione hactenus allata ſequitur, quòd iris poſſit etiam formari a luna, & de facto formatur, ſed valde imperfectior.

Solet iris prænunciare pluviam, ſed non valde copioſam, quia cum nubes iridem generans debeat eſſe tranſlucida, atque adeo non valde abundans vaporibus facilè, & brevi

tota

tota diſſolvetur, qua diſſoluta ceſſabit pluvia.

Parelia ſunt apparentia plurium ſolium eodem tempore. Fit talis apparentia, quando ſub ſole nubes occurrunt ad latera, quæ ſunt diaphanæ in extima parte, & in profunditate opacæ adinſtar ſpeculi: inde reflectitur imago ſolis, & ſol multiplex apparet.

CAPVT VIII.
De Meteoris aqueis.

MEteora aquea dicuntur, quæ ex vapore diverſis modis rarefacto, condenſato, calefacto, aut refrigerato producuntur, ut ſunt nubes, nebulæ, pluviæ, rores, grandines, nives, &c.

Nubes eſt vapor virtute ſolis, & aſtrorum ad mediam aeris regionem elevatus, & ibi condenſatus, ac reſolubilis in aquam. Cum enim ad eam aeris regionem vapores, ſeu halitus aquei ſublevati deſtituuntur a calore extrinſeco, & ab exhalationibus immixtis, quæ altiùs ad ſupremam tendunt regionem, frigeſiunt, & denſari incipiunt: denſati graveſcunt,

& pau-

& paulatim deſcendunt, & nubes apparent, quæ ubi ab aere circumſiſtente ad aqueam frigiditatem ſunt redactæ, in aquam reſolvuntur, eo modo quo, cum ope ignis, elevantur ad ſuperiorem partem lambici diſtillatorii vapores ex floribus, aut aliis humidis corporibus extracti, concreſcunt, & addenſantur in quandam nubeculam, donec a ſuperpoſito operculo frigefacti in aqueum humorem reſolvuntur.

Nubes non multum elevari a terra ex eo liquet, quòd velociſſimè moveri eas conſpicimus, cum ea, quæ longiùs diſtant, licet velociſſimè moveantur, tamen quaſi immota appareant, ut planetæ, naves in mari longè navigantes, & ſimilia. Rurſus quia conſtat experientia, quòd nubes, quæ aliquando per ſex, aut acto milliaria occupant, impediunt nobis totius cœli aſpectum, quod fieri nequaquam poſſet, ſi non eſſent vicinæ nobis. Minima nubium diſtantia a nobis eſt minor ſemimilliari, ut optimè ſentit Cabæus, & ego ipſe expertus ſum ſæpius, ac præſertim cum anno præterito montem Morellum urbi noſtræ vicinum

aſcen-

aſcendiſſem, & ibi per totam diem moratus, ſereno cœlo diem lætiſſimam tranſegiſſem, deſcenderam cum amicis dimidium fere montis, cum nubeculam obſervavimus in ſubjecta valle quaſi fumum cohærentem Sexto vico, qua fulgura quædam ſcintillare conſpeximus, ubi Sextum devenimus, ingentem ibi cum tonitruis, & fulguribus effuſam fuiſſe pluviam invenimus, cujus aquis intumuerant rivi. Certum autem eſt, quòd cum nubecula fuiſſet a nobis viſa infra partem montis minùs, quàm per ſemimilliare diſtantem a valle, oportuit, ut talis nubes diſtantiam minorem ſemimilliare a terra obtinuerit.

Maxima nubium diſtantia, ſi ſermo ſit de nubibus iam omnino addenſatis eſt octo circiter milliariorum. Si verò de vaporibus, qui addenſari incipiunt, & in nubem concreſcere, eſt ordinariè milliariorum 52. patet hoc ex eo, quòd ſole exiſtente per gradus 18. ſub horizonte, videmus fieri crepuſcula matutina, & veſpertina, quæ fiunt per hoc, quòd a ſole illuminantur vapores ſupra

pra horizontem exiſtentes: ſed in ea ſolis depreſſione per gradus 18. sol non poteſt illuminare, niſi vapores diſtantes ſupra horizontem per 52. milliaria, ergò maxima talium vaporum diſtantia eſt iſta. Dixi ordinariè, nam aliquando fit, ut etiam poſt tres horas a ſolis occaſu videantur illuminari quidam vapores, in quo caſu nequeunt illuminari, niſi ſint in altitudine quinque millium milliariorum.

Pluvia eſt nubes in aquam reſoluta, cum enim vapor condenſatus ad nativum frigus reducitur, nubes liqueſcit in guttas, & fit pluvia. Si guttæ fuerint tenuiores, dicitur imber: ſi vero fuerint grandiores, vocatur nimbus.

Sanguine aliquando pluiſſe Scriptores quidam memorant. Hoc duplici ex cauſa contingere poteſt. Prima eſt, cum ex terra rubra, vel ex aquis ſanguine tinctis educti ſunt vapores, nubem aliquam conflantes. Secunda eſt, cum vapores admixti ſunt multa exhalatione per calorem ſolis magis aduſta, tunc enim vi exhalationis illius, rubedo illa producitur. In his tamen caſibus humor ille ſanguis

guis non eſt, ſed aqua talem colorem exhibens.

Poſt pluvias clariùs, & diſtinctiùs omnia ſpectantur, & diſtinguuntur oculo noſtro, quia aquæ ex nubibus conſtipatis decidentes liberant aerem ab exhalationibus, quibus obumbrabatur. Ex eo fit, quòd ſunt turbidiores pluviæ poſt diuturnam ſiccitatem, quàm ſi aliæ pluviæ præceſſerint, quia poſt ſiccitatem reperiunt plures exhalationes, quibus in aere turbidæ redduntur.

Lapidibus aliquando pluiſſe certum eſt. Hæc pluvia fit, cum vento validiſſimo, de quo tractabimus infra, abrepti ex uno loco lapides in alium exonerantur.

Imbres ſunt frequentiores hyeme, quàm æſtate, quia cum æſtate dominetur vehemens calor, aſcendit magna vaporum copia, qui deinde hyeme frigeſcentes faciliùs, quia dominatur frigus, frequentes producunt imbres.

Nimbi econtra ſunt frequentiores æſtate, quàm hyeme, quia cum æſtate dominetur calor, ut vapores refrigerentur, debent in unum, & anguſtum cogi locum in magna copia,

ad hoc ut ſuperent calorem aeris ambientis, & inde decidentis nimbos formant.

Sub æſtatis initium ſolet ferè quotidiè poſt meridiem cadere nimbus brevi tranſiens. Hoc ideo fit, quia tunc ſuperficies terræ, & aquæ, & aer infimæ regionis propter reflexionem radii ſolaris vehementer incaleſcunt, & ſurſum, maximé hora meridiei, immittunt vapores in magna copia, qui vapores pervenientes ad ſecundam aeris regionem, quæ adhuc frigore hyemali valde pollet, quia nec directo, nec reflexo radio ſolis adhuc eſt tepefacta, ſubito infrigidantur, & paulo poſt meridiem cadunt in nimbum.

Terram magis fœcundant pluviæ, quàm aquæ puteales, aut fontium, quia cum aer plenus ſit partibus ſpiritoſis omnium rerum, qui dicuntur ſpiritus vegetabiles, pluviæ decidentes deferunt ſecum plurimos ex illis ſpiritibus, quibus aquæ puteorum, & fontium non abundant, ac propterea aquis pluvialibus, & fluvialibus terra magis fœcundatur.

Grando fit, cum pluvia per aerem decidens, frigore magis conſtringitur,

tur, accedente exhalatione ſicca, quę humido aqueo miſceatur.

Nix fit cum nubes flatuoſa, ideſt multum exhalationis terreæ, & ſpiritus aerei continens, accedente majori aliquo frigore, antequam reſolvatur in pluviam, conglaciatur, tunc enim in floſculos cadit.

Levitas nivis procedit ab illa ſpiritus aerei admixtione, ſicuti ex eadem oritur albedo ipſius: videmus enim, quòd ſi aquæ admiſceatur ſpiritus aereus, album præſefert colorem, ut contingit in ſpuma terrea: exhalatio, quæ in magna copia nivi admixta eſt, facit ut nix in aquam turbidam reſolvatur, & quòd bibentibus noxia valde ſit talis aqua.

Glacies fit, cum in acceſſione magna frigoris, miſcentur aquæ ſpiritus aerei, & terreſtres exhalationes, cum enim ſicca, & humida ſint ſibi invicem gluten, ut patet in farina, dum aquæ miſcetur, fit, ut dum aerei ſpiritus, & terreſtres exhalationes aquã ſubintrant, partes ipſius coagulent, & conſtipent, glaciemque efficiant. Hinc didicere homines etiam in ſummis æſtatis caloribus aquam conglaciare, admiſcendo ſalnitrum, ut quotidia-

tidiana oſtendit experientia. Ex tali terreſtris exhalationis admixtione fit, ut in aquam turbidam reſolvatur glacies, ſicuti etiam ex ejuſdem, & aerei ſpiritus levitate oritur, ut glacies aquæ ſupernatet.

Ex his redditur ratio, cur flante vento in ſummis hyemis frigoribus non glacietur aqua, quia nimirum impedit ventus, ne ſiſtant, & incumbant aquæ aerei ſpiritus, & exhalationes terreæ, quę ad conglaciandam illam ſunt neceſſariæ, ipſas enim utpote leviſſimas diſſipat flatus.

Quæres, an ſit vera quorundam recentiorum opinio putantium, quòd forma glaciei non ſit denſitas, ſed raritas, ita ut glacies non ſit aqua condenſata, ſed rarefacta?

Reſp. Ad ſenſum patet aquam conglaciatam eſſe denſiorem non glaciata, cùm ejus durities impediat, ne tam facile perforetur, & per ipſam permeent alia corpora, ſicuti permeant per aquam non glaciatam, quæ faciliimè perforatur, ac ſcinditur. Verum quidem eſt, quòd aqua conglaciata occupat majus ſpatium, quàm occupabat antea, hoc tamen non procedit ex rarefactione, ſed ex eo,

eo, quòd commiſcentur partibus ipſius multæ exhalationes, ſeu particulæ terreæ, & aerei ſpiritus, quæ exhalationes, & aerei ſpiritus, cum debeant occupare ſuum locum, imò & cavitates quaſdam in ipſa glacie cauſent, ratione utriuſque hujus rei, glacies occupat majorem locum, & ſicuti, ſi miſceatur terra acervo tritici, talis acervus licet occupet majorem locum, non dicitur propterea triticum rarefactum, ita in caſu noſtro, cum creſcat moles ex utroque adducto capite, non eſt dicenda glacies facta per rarefactionem: rarefactio enim eſt cum eadem manente materia, corpus occupat majorem locum, in noſtro autem caſu creſcit materia, dum corpori aqueo duo alia corpora, nempe terreum, & aereum admiſcentur. Singulæ igitur partes aquæ utpote condenſatæ occupant minus ſpatium, quàm antea, ſed multitudine exhalationum, & aerei ſpiritus accedente, glacies majorem occupat locum. Si autem per hoc, quòd rebus præexiſtentibus admixto alio corpore, illæ res ſimul cum corpore ſe extendant ad majorem locum, dici poſſet fieri rarefactio, rarefie-

refieret exercitus, dum nova admiſcentur agmina præexiſtentibus; rarefieret pecunia, dum præexiſtenti commiſcetur nova, quæ omnia ſunt abſurda.

Cenſuerunt quidam cum Plinio criſtallum eſſe glaciem; quæ ſententia nullo ſatis ſolido nititur fundamento, quia in primis conjectum in ignem non liqueſcit in aquam ut glacies, ſed remanet ejuſdem ſubſtantiæ criſtallinæ, ut patet, dum in fornace liquatur ad vaſa ex ipſo formanda, & ſi nimio igne corrumpatur, abit in cinerem. Rursus vidi ego gigni criſtallum in locis, in quibus raró admodum ſolet etiam hyeme fieri glacies, quod profectò non ſequeretur, ſi ex glacie conficeretur; quare concludendum eſt criſtallum eſſe peculiare mixtum ſubſtantiale.

Nebula eſt vapor in infima regione aeris conſiſtens, qui propter defectum ſufficientis frigoris non eſt adhuc proximè reſolubilis in aquam. Dicta eſt ab Ariſt. *excremetum nubis*. quia ſæpe fit, ut aliquæ nubis partes nondum concepto frigore ſufficienti ad redeundum in aquam, compelluntur ab aliis partibus deciden-

cidentibus in pluviam, & in hac infima regione adhæreſcunt terræ; quare poſt pluvias nebulæ in vallibus, & montium cacuminibus ſpectari ſolent. Si nebula diſſipatur a ſole, prænunciat futuram ſerenitatem: ſi verò attrahitur eſt ſignum pluviæ, quia ubi vapor ille ad mediam aeris regionem pervenerit, ibi ſufficienter infrigidabitur, & in aquam reſolvetur.

Caligo eſt idem vapor minùs ſpiſſatus, quare nebula, nubes, & caligo ſunt eadem ſubſtantia, differuntque ſolum in accidentibus.

Ros fit, cum vapor parum elevatus a terra propter ſolis occidentis debilem calorem concreſcit, & a frigore veſpertino, & matutino reſolvitur, quare ros cadit vel ſub initium, vel ſub finem noctis. Non cadit ros nubilo cœlo, quia tunc ſol occidens vapores non elevat; cadit frequentiùs vere, & autumno, quia his temporibus ſol veſpertinus habet vim elevandi vapores circa terram, cum econtra hyeme propter debilitatem nimiam non elevet, æſtate verò propter nimium calorem elevet altiùs. Non decidit ros ſtante

vento

vento Borea, decidit verò flantibus ventis auſtralibus, quia Boreas, & impedit elevari vapores, & eos, quos reperit elevatos, ita exſiccat, ut abſumpta eorum humiditate reddat ineptos ad converſionem in rorem.

Quæres quomodo matutino tempore decidat ros?

Reſp. Sol orienti appropinquans, rarefacit aerem noſtro horizonti vicinum, quare cum talis aer rarefactus occupet majus ſpatium, neceſſe eſt, ut aer illi proximus condenſetur, ut ei locum cedat, ex illa condenſatione, & rarefactione cauſatur lenis ille motus aeris ex parte orientali, quem veluti ventum mitem experimur ſub ſolis ortum quolibet manè. Cauſatur etiam ex illa rarefactione, & condenſatione addenſatio vaporum, qui ſub veſperam non ſunt reſoluti in rorem, qui tunc ſic condenſati majus concipiunt frigus, & in rorem reſolvuntur. Illi vapores ſic addenſati obſcurant etiam aerem aliquanto plus quàm antea, & ex hoc provenit, quòd appropinquante Aurora per breve tempus augentur tenebræ.

Pruina nihil eſt aliud, quàm ros con-

congelatus, dum enim vapor in rorem reſolvitur in guttulas tenuiſſimas, quæ herbis adhærent, & terræ, admiſcentur illis guttis ſpiritus aerei, & ſalnitrales, quibus cum acceſſione frigoris coagulatur ros. Et quia tales ſpiritus ſunt aduſtivi, & concoctivi fit, ut floribus, & plantis delicati temperamenti noceat pruina, oleribus verò, braſſicis, & aliis, quæ ſunt crudiora, teneritudinem inducat, quia eorum cruditates concoquit.

Mel eſt ſuccus florum, qui collectus ab apibus, & pectoris calore concoctus in alvearia deportatur. Eſſe ſuccum florum, & non humorem roridum, ut quidam ſcripſere, patet ex eo, quòd humor roridus deberet colligi manè, & veſperi, non verò meridie, quando æſtu jam eſt exſiccatus: apes autem colligunt mel in ferventiſſima diei parte. Rurſus humor roridus deberet colligi non ſolum ex floribus, ſed etiam ex aliis, quibus ſolet adhærere, cum tamen, experientia conſtet apes colligere mel ex ſolis floribus, & ſi in aliqua valle umbroſa radius ſolaris rorem non exſiccavit, apes illuc non

convolant ad rorem exſugendum. Denique mel ejus eſt ſaporis, & qualitatis, cujus ſunt flores, e quibus educitur; ſic ex thymo mel redolens, ut in Sardinia, ex abſinthio mel amarum eruitur. Non fieri autem mel ab apibus, ſed colligi, patet, quia ſi ſugamus extremam florum partem, experimur ineſſe ſuccum melleum. Secundò quia apes melle vivunt tempore hyemis, ſed ſi conficerent mel tranſmittendo ſuccum in ſtomachum, & poſtea gerendo, eſſet mel rejectum ab ipſarum natura, ut excrementum inutile ad nutritionem, & ad vitam, ergò ſignum eſt non fieri ab ipſis, ſed colligi.

Manna eſt humor roridus a melle differens, quòd ſit magis denſus. Duplex eſt: aliud defluit ex aere, & conglutinatur inſtar pruinæ, colligiturque ex frondibus, floribus, ſtipulis, & lapidibus: aliud ad modum gummi exſudat ex ornis, & fraxinis menſe Iulio, & Auguſto. Colligitur manna præcipuè in Calabria, quare eſt valde veriſimile, quòd manna roridum fiat ex halitibus extractis vi ſolis a manna terreſtri, exſudante ex prædictis arboribus, qui hali-

halitus immixti vaporibus elevatis a ſole occidenti, decidant poſtea in rorem ſimul cum vaporibus; id eò magis mihi redditur probabile, quòd etiam in agro Lunenſi ubi conſimilium arborum multæ virent, aliquod manna colligatur, quod non fit in locis, ubi non ſunt orni, & fraxini. Ex his intelligite hoc manna, quo utuntur Medici ad flavam bilem purgandam, & ad alia genera curationum non eſſe ejuſdem rationis cum illo, quod olim ad nutrimentum Hæbreorum Deus in deſerto immiſit, ex hoc enim fiebant epulæ, & erat adinſtar grani coriandri, & frangebatur mola, quorum nihil convenit huic, quod in Calabria colligitur.

CAPUT IX.

De Ventis.

VEntus fit per exhalationem, quæ aeri impulſum imprimit. Hoc ex pluribus colligitur, ſed præſertim ex eo, quòd iis temporibus, quibus major exhalationum copia elevatur, venti frequentiores, & vehementiores fiunt, ut contingit vere,

& autumno. Rurſus quia rubente cœlo ventum futurum infallibiliter prænoſcimus ex eo, quòd exhalatio torrida, ex qua rubor ille oritur eſt ventorum materia. Vis etiam ex ſiccandi ineſt ventis, quia tali exhalatione formantur.

Ex his redditur ratio, cur una regio magis, quàm alia ventis ſubiiciatur, quia videlicet ſecundum terræ qualitatem ex una potiùs, quàm ex alia, plures exhalationes gignendis ventis aptæ elevantur.

Intelligitur etiam quomodo dixerit Ariſt. ventos augeri ſicut flumina, quia ſcilicet exhalatio, quæ incipit in una parte moveri quo magis procedit, alias, & alias reperit in aere exhalationes, quibus aucta ventum vehementiorem, & diuturniorem efficit.

E montibus ut plurimùm venti flare ſolent frequentiores, quia montium terra, utpote minus madefacta, emittendis exhalationibus eſt aptior.

Ventorum numerum alibi aſſignavimus, quare hic ſupereſt tantum agere de quibuſdam vehementioribus propter peculiares ipſorum effe-

effectus, ut ſunt Ecnephias, Typhon, & Præſter. Ecnephias eſt exhalatio per antiperiſtaſim motu recto e nubibus inſtar fulminis vibrata, quæ tanto impetu terram quatit, ut annoſas etiam quercus eradicet, & ædificia diruat, & quoniam rarò evenit tantam exhalationum copiam includi nubibus, & deinde vibrari, talis ventus rarò, & in aliqua tantùm regione, aut territorio flare contingit. Typhon eſt ventus, qui generatur, cum exhalationis copia e nube vibratur motu retorto; tunc enim magno impetu attrahit, quæ ſibi obvia fiunt, & aliò transfert, quare lapidum pluviæ, de quibus meminere Scriptores, fiunt, cum Typhon abreptos ex uno in alium locum exonerat. Præſter, ideſt ventus urens, fit, cum exhalatio flatuoſa e nubibus vibrata parum habet flammæ, & multum flatuum & in terras ingenti impetu fertur, comburitque aliquantulum ea, quæ tangit, hæc exhalatio non differt in alio a fulmine, niſi in eo, quòd fulmen plus habet flammæ, & minùs flatuum.

Aliquid hic agendum ſupereſt de

eteſiis. Sunt eteſiæ quidam venti leniter ſpirantes certis anni temporibus. In oceano atlantico & pacifico, ſunt conſtantiores, quàm in noſtris regionibus, quia cum hæc duo maria ingenti tractu vaſtiſſimè pateant, exhalationes ibi non impingunt in montes, promontoria, & littora, ut impingunt in noſtris regionibus, ideoque in illis oceanis non franguntur, ac proinde conſtantiores venti procreantur, & tantum navigationi afferunt commodum, ut ex Luſitania in Americam uno circiter menſe naves devehant. Fiunt eteſiæ ex halitibus erumpentibus e nive, quæ in montibus liquatur, & propterea vere, & initio æſtatis flare ſolent, cum nivium ſit colliquatio, & hæc eſt ratio cur flantes die, noctu quieſcant, quia ſcilicet nocte non reſolvuntur nives calore ſolis.

CAPUT X.
De Terræ motu.

TErræ motus duplici pacto fit. Primo cum exhalatio copioſa in terræ cavernis, & concavitatibus inclu-

incluſa, vel ab aſtrorum virtute, vel ab igne aliquo ſubterraneo excitatur, & ſubito rarefit, viamque, & exitum quærit, eo prorſus modo, quo pulvis tormentarius incluſus cuniculis, dum igne concepto rarefit, & exitum quærit, arces, & mœnia ſubvertit. Secundo fit terræ motus, cum materia bituminoſa, & ſulphurea incluſa in iiſdem terræ cavernis inflammatur, ut in Veſuvio, Ætna, & aliis montibus evenire videmus, e quibus cum ejus generis flamma exitum quærit, ingentia ſaxa elevat, & cineres ad multa milliaria evomendo, terram vehementiſſimè concutit.

Signa futuri terræ motus plura afferuntur a Meteoriſtis, ſed præcipua ſunt. Primò ſi abſque alia præcedente cauſa conſpiciantur aquæ fontium, & puteorum turbari, & ſulphureum odorem reddere, illa enim turbatio, & odor ſulphureus oritur ab exhalatione, quæ per terræ venas incipit ſerpere: ſecundò ſi aqua maris ebulliat nullo flante vento: tertiò ſi animalia quædam, quæ ſolent in terræ viſceribus latitare ſubitò, & in magna copia foras pro-

deant, id enim fit quia rumore intra terram orto fugantur. Quartò inſolita, & intempeſtiva aeris tranquillitas, eadem enim aſtrorum vis, quæ tranquillitatem cauſat, exhalationes excitat.

Terræ motus magni ſolent non ſtatim deſinere, ſed uſque ad 40. dies identidem audiri, quia exhalationes illæ hac temporis periodo, & non priùs diſſipantur.

Si terræ motus valde tranquillo aere accidat, ſolet eſſe vehementior, & diuturnior, quia exhalatio illa, quæ ventos in aere generare poterat, ipſumque turbare, ſerpit intra viſcera terræ.

Ex his patet, cur aliquæ regiones, ut oræ Helleſponti, Eubœa, Sicilia, Romandiola, & ſimiles ſint magis terræ motibus ſubjectæ, quàm aliæ, quia videlicet earum terra utpote cavernoſa, & mari propinqua aptior eſt pluribus exhalationibus intra viſcera ſua recipiendis, quibus deinde concuti terram contingit. Propinquitas maris valde confert ad terræ motus procreandos, quia cum aqua marina ſpiritibus nitralibus abundet, & continua verberatione littorum

tum

tum ſuos illos, tum abreptos ex aere ambiente tales ſpiritus per terræ rimulas intra ipſius cavernas compellat, ubi magna eorum copia ibi coadunata eſt, terræ motum gigni eſt omnino neceſſe.

CAPVT XI.
De vario motu maris.

TRes præcipui motus regulares obſervantur in mari. Primus eſt a polis ad æquatorem. Secundus eſt ab oriente in occidentem. Tertius eſt fluxus, & refluxus.

Moveri mare a polis ad æquatorem certum eſt, nam experientia conſtat navigationem inſtitui velociorem ex Dania in Hollandiam, & alias regiones magis ad æquatorem vergentes, quàm econtra. Similiter in mediterraneo aquæ a palude meotide decurrunt in euxinum, & ab euxino in ægeum. Hujus motus cauſa eſt, quia cum aqua, & cæteri omnes humores habeant ſe librare, & libratio conſiſtat in eo, quòd ſecundùm ſupremam ſuperficiem omnes partes ſint æquè diſtantes a centro, ſeu æquè altæ, ideo ſi una pars ſu-

deant, id enim fit quia rumore intra terram orto fugantur. Quartò inſolita, & intempeſtiva aeris tranquillitas, eadem enim aſtrorum vis, quæ tranquillitatem cauſat, exhalationes excitat.

Terræ motus magni ſolent non ſtatim deſinere, ſed uſque ad 40. dies identidem audiri, quia exhalationes illæ hac temporis periodo, & non priùs diſſipantur.

Si terræ motus valde tranquillo aere accidat, ſolet eſſe vehementior, & diuturnior, quia exhalatio illa, quæ ventos in aere generare poterat, ipſumque turbare, ſerpit intra viſcera terræ.

Ex his patet, cur aliquæ regiones, ut oræ Helleſponti, Eubœa, Sicilia, Romandiola, & ſimiles ſint magis terræ motibus ſubjectæ, quàm aliæ, quia videlicet earum terra utpote cavernoſa, & mari propinqua aptior eſt pluribus exhalationibus intra viſcera ſua recipiendis, quibus deinde concuti terram contingit. Propinquitas maris valde confert ad terræ motus procreandos, quia cum aqua marina ſpiritibus nitralibus abundet, & continua verberatione littorum

tum

tum ſuos illos, tum abreptos ex aere ambiente tales ſpiritus per terræ rimulas intra ipſius cavernas compellat, ubi magna eorum copia ibi coadunata eſt, terræ motum gigni eſt omnino neceſſe.

CAPVT XI.
De vario motu maris.

TRes præcipui motus regulares obſervantur in mari. Primus eſt a polis ad æquatorem. Secundus eſt ab oriente in occidentem. Tertius eſt fluxus, & refluxus.

Moveri mare a polis ad æquatorem certum eſt, nam experientia conſtat navigationem inſtitui velociorem ex Dania in Hollandiam, & alias regiones magis ad æquatorem vergentes, quàm econtra. Similiter in mediterraneo aquæ a palude meotide decurrunt in euxinum, & ab euxino in ægeum. Hujus motus cauſa eſt, quia cum aqua, & cæteri omnes humores habeant ſe librare, & libratio conſiſtat in eo, quòd ſecundùm ſupremam ſuperficiem omnes partes ſint æquè diſtantes a centro, ſeu æquè altæ, ideo ſi una pars ſu-

perficiei ſit altior alia, ſtatim pars altior incumbit, & deſcendit in partem depreſſiorem, & ad illam movetur; cum ergò propter vehementem ſolis æſtum attenuetur, & extrahatur in vapores multum aquæ meridionalis, quod non fit in partibus ad polos vergentibus, cum ſol eas parum urgeat, & inſuper cum ex polaribus regionibus flumina maxima in meridionales decurrant, cum ex meridionalibus ad polares id non ſequatur, fit ut altior ſit aquarum ſuperficies in regionibus polaribus, quàm in jacentibus ad æquatorem, ac propterea polares aquæ incumbendo in meridionales, ut ſe librent, motum maris a polis ad æquatorem cauſent.

Ab oriente in occidentem moveri mare demonſtrat pariter experientia, citiùs enim ex Luſitania navigatur in Americam, quam econtra. Hujus motus cauſa eſt motus diurnus, quo primum mobile movet cum incluſis ſphæris etiam ignem, & aerem, ac proinde etiam aquam, cui aer circumfunditur.

Omnium tamen maris motuum celeberrimus eſt ille, qui æſtus maximus

rinus, ſeu fluxus, & refluxus nuncupatur; eſt autem hic quædam aquarum intumeſcentia, & detumeſcentia, quæ in certis locis, & regulatis temporum intervallis contingit. In Italiæ littoribus ad mare inferum vix eſt ſenſibilis: in mari ſupero, ſeu in ſinu adriatico prope Venetias eſt notabilis: ad littora Aphricæ oppoſita Italiæ eſt vehemens. In oris Belgii aſſurgunt aquæ uſque ad 18. pedes: In oris Britannicis uſque ad 70. In locis exiſtentibus ſub zona torrida ad 6. circiter pedes mare attollitur.

Copernicani ſyſtematis Propugnatores cauſam hujus motus adſcribunt motui, quo terra ab occaſu in ortum rotatur, dicunt enim, quòd mare in terræ cavitatibus veluti quibuſdam in vaſis continetur, & ſicuti cymba ſemiplena aquis ſi rapido curſu per tranquillum lacum æquabiliter feratur, aqua refugit in partem contrariam: si verò interdum ſubſiſtat cymba, vel ſegniùs moveatur, tunc aquæ proprio pondere in aliam ipſius refluunt partem: ſic terra cum ab occaſu in ortum velociter moveatur, ſed motu inæquabili, fit ut quando acceleratur motus in

ortum aqua refugiat ad occaſum, quando verò retardatur motus, aqua ad ortum relabatur. Hæc doctrina licet ſatis rejecta videatur ex iis, quibus Copernicanum ſyſtema refellimus, poteſt inſuper ex eo falſitatis redargui, quòd ſi ex motu terræ proveniret fluxus, & refluxus, ſicuti omnia maria eſſent eodem modo in terræ cavitatibus, velut in vaſis, deberent etiam omnia eodem modo moveri, atque adeo in omnibus idem æſtus iiſdem temporibus, & æquali menſura fieri neceſſè eſſet; imò non ſolum maria, ſed etiam lacus eundem pati motum deberent, cum non eſſet major ratio de uno, ac alio mari, de aqua maris, ac de aqua lacuum: ſed experientia oſtendit oppoſitum; ergo nequit tali pacto explicari marinus æſtus.

Alii talis æſtus cauſam dicunt eſſe Intelligentiam aquarum præſidem, quæ ſicut aquas a malis geniis, ſeu turbatoribus Angelis cuſtodit, ita eas in humani generis utilitatem movet: ſed hæc ſententia explicat effectum naturalem per cauſam non naturalem, quod non debet facere Philoſophus, quando non adeſt repugnan-

gnantia in aſſignanda cauſa naturali.

Dicendum igitur eſt marinum æſtum cauſari effectivè a luna, & ſole, aliorūmque aſtrorum virtute. Ratio eſt quia intumeſcit mare, ac detumeſcit iuxta acceſſum, & receſſum lunæ, ſicuti calefiunt corpora, & frigefiunt per acceſſum, aut receſſum ignis, aut alterius cauſæ productivæ caloris; ergo ſicuti rectè deducimus ex hoc, calorem cauſari ab igne, ſole, aut alia ſimili cauſa, ita recte deducimus æſtum marinum cauſari principaliter a luna, ſole, & aliis aſtris. Ex hoc redditur ratio cur ſingulis diebus una circiter hora tardiùs fiat æſtus marinus, quia ſcilicet una hora tardiùs luna ad punctū orientis accedit: cur in noviluniis, & pleniluniis æſtus ſit major, quia ſcilicet tunc eodem tempore ſol, & luna meridianum attingunt, & ſic uniunt uterque planeta ſuam activitatem, habentque majorem vim reſpectu talis effectus: cur in quadraturis æſtus ſit minor, quia ſcilicet tunc unum luminare eſt in puncto horizontis, aliud in puncto meridiani, atque adeo nō conjungunt vires, & propterea minùs efficaciter movent aquas: cur primo quadrante acceſſus lunæ ad horizontem,

tem, ideſt tribus primis horis fluxus, & refluxus fiat in duabus oppoſitis quartis partibus terræ, ſecundo quadrante in duabus aliis quartis partibus, & ſic de ſingulis: quia ſcilicet cum principaliter procedat a luna, non fit niſi in partibus maris lunæ directè oppoſitis ſecundùm lineam diametraliter tranſeuntem per centrum mundi, & centrum ipſius lunæ.

Quæres cur non in omnibus maribus fiat æſtus, & cur non ſit æqualis in omnibus, in quibus fit?

Reſp. Quia ad talem æſtum faciendum non ſufficit influxus lunæ, & aſtrorum, ſed requiritur etiam diſpoſitio in ipſis aquis, ſcilicet quòd aquæ abundent quibuſdam halitibus, qui per virtutem aſtrorum excitentur, & ebullire, ac intumeſcere faciant aquas: cum ergò in aliquibus maribus pauciſſimi dentur tales halitus, in illis fluxus & refluxus eſt vel nullus, vel fere inſenſibilis. Similiter cum in aliis maribus plures, in aliis pauciores halitus reperiantur, fit in aliis major, vel minor fluxus, & refluxus. Ex his facile intelligitur quòd non a lumine, & calore, ſed ab influentiis, ſeu

qua-

qualitatibus aliis aſtrorum procedit æſtus marinus, quia fit vehementiſſimus etiam in noviluniis, & in ea parte terræ, ad quam non traſmittitur lumen, & calor lunaris, ideoque neceſſe eſt fieri per qualitatem, quæ ad partes terræ diametraliter oppoſitas perveniant, nec a terræ craſſitie impediatur.

CAPVT XII.

De fontium, ac fluminum origine.

DVplex eſt ſententia circa fontium, & fluminum originem. Prima eſt plurium Peripateticorum, qui putant fontes, & flumina generari in terræ cavernis ex aere, vaporibuſque nimio frigore condenſatis, & in aquam converſis. Secunda eſt aliorum, qui docent oriri a mari, quod per meatus ſubterraneos in terræ viſcera ſuas tranſmittit aquas, quæ poſtea invento facili aditu erumpunt.

Dico aliquos fontes, & flumina generari ex mari: alios vero ex aere vaporoſo terræ cavernis incluſo. Prima pars hujus aſſertionis innititur primò divinæ ſcripturæ teſtimo-

monio, nam Eccleſiaſtici. 1. dicitur: *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat; ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant.* Secundo quia non poteſt alia aſſignari cauſa, cur ex perpetuo fluminum decurſu in mare, non redundet mare, niſi quia tot ex ipſo extrahuntur aquæ, quot ad ipſum redeunt. Tertio quia cum ad generandam parvam aquæ quantitatem longè plurimæ requirantur vapidi aeris partes, ad hoc ut ex aere generaretur aqua unius magni fluvii e. g. Danubii, Volgæ, Nili, & ſimilis, vix ſufficeret totus aer mundi; ergo dicendum eſt multá flumina aliunde, ſcilicet e mari generari. Secunda pars, quòd ſcilicet aliqui fontes, & flumina quædam generentur ex aere vapido, & ex aquis per imbres decidentibus, & ſeſe in terræ viſcera inſinuantibus, fit manifeſta ex eo, quòd poſt diuturnas pluvias videmus non modo plurium fontium, & fluviorum aquas creſcere, ſed alios fontes, & flumina de novo prodire, quæ poſtea æſtivo calore terram exſiccante deficiunt. Inſuper effodientibus terram ad requirenda quorundam fon-

ſontium initia compertum eſt oriri ex humido, & cavernoſo loco, in quo nihil apparet præter aptitudinem ad aerem vapidum in aquas tranſmutandum. Denique ex montibus editioribus, qui nive, ut plurimùm ſolent cooperiri, naſcuntur fontes & flumina in majori quantitate, quod eſt evidens ſignum ex humefactione terræ per nives facta, generari.

Quæres cur aqua fontium, & fluviorum dulcis ſit, cum tamen, utpote promanans a mari, deberet eſſe ſalſa.

Reſp. Quia dum per varios terræ meatus defluit, ita percolatur, ut partes ſalſæ, quæ craſſiores ſunt, ipſam deſerant. Hinc etiam fit, quòd aqua per terræ anfractus ſic expurgata, & attenuata longe levior ſit, quàm aqua maris, ideoque minùs apta ad ſuſtinenda onera; quare videmus multa ſupernatare aquæ marinæ, quæ merguntur in aquis fluminum. Ratione talis levitatis fit etiam, ut, licet mare depreſſius ſit montibus, tamen ex eo aqua ad montium uſque cacumina impellatur, quia aqua marina utpote gravior premit aquam illam leviorem,

& ſic ipſam cogit altiùs aſcendere, quàm alioquin deberet, cum regulariter aqua non aſcendat altiùs, quàm ſit locus, ex quo priùs deſcendit. Conducit etiam non parum ad talem aſcenſum aquæ ſpongioſitas terræ, quæ aquam illam attenuatam facilè attrahit, & ſurſum attollit.

Ex dictis facile eſt colligere, quòd ea flumina, & fontes, quibus deficere accidit, ſunt ut plurimùm genita ex aere vapido cavernis incluſo, aut ex imbrium, & nivium aquis, quibus terra fuerat humefacta, quibus deficientibus, deficere quoque flumina, & fontes ex ipſis procreatos neceſſe eſt. Fieri tamen poteſt, ut etiam deficiant aliquando, quæ originem ducunt a mari, ſi nimirum dehiſcente, & labante ſolo, canales, per quos aqua tranſmittebatur, obſtrui contingat.

CAPUT XIII.

De generatione foſſilium.

NOmine foſſilium veniunt ea, quæ in mineris, & locis ſubterraneis generantur, ut ſunt lapides, metalla, & ſimilia.

La-

Lapides generantur ex terreis particulis, quibus admiſcetur halitus humidus: hoc oſtendunt denſitas, ſiccitas, durities, & gravitas lapidibus innatæ.

Metallum fit ex halitu ſicco, & terreo, cui prædominans humidum miſcetur; in profundis enim terræ viſceribus halitus quidam humidi reperiuntur, qui adhærentes lapidibus conſtipantur vehementi frigore talium lapidum, & ita ex particulis terreis, quæ ſuapte natura ſiccæ ſunt veluti rorem quemdam conſtituunt, qui proximè in metallum vertitur, novos ſubinde halitus miniſtrante minera, & cœleſti aſtrorum influxu ſpecialiter ad id cooperante. Metallorum alia dicuntur liquabilia, alia ductibilia. Liquabilia ſunt, quæ plus habent humidi, ut plumbum, ſtamnum, &c. Ductibilia ſunt, quæ habent humidum mediocriùs attemperatum, ut æs, argentum, aurum, &c. Alia ſunt magis, alia minùs pura. Primi generis ſunt, quæ pauciores habent partes excrementitias: ſecundi generis ſunt, quæ plures partes excrementitias continent, ac propterea dum ignefiunt, multum ex ipſis de-

deperditur, & evaporat; aurum omnibus metallis purius eſt, quia dum ignitur, pauciſſimæ ipſius particulæ deperduntur, & evaporant; ex ipſo ſequitur, quòd ſit temperamenti optimè ex humido, & ſicco compoſiti, ac proinde quovis alio metallo magis ductile, eſt etiam ex eodem capite denſiſſimum, & graviſſimum. Chymiſtæ Solem ipſum appellant, quia ſolari maximè influxu ipſum generari putant, ſicuti argentum Lunam, ferrum Martem, plumbum Saturnum vocant, quia ſingula metalla ſingulis generari planetis credunt.

Electrum eſt metallum conflatum ex auro, & argenti quinta parte.

Aurichalchum duplex eſt, aliud conflatum ex ære, & auro: alterum vero vulgare, quod ex ære, & vitri pulvere, aut alio lapidis genere conficitur.

Hydrargyrum, ſeu argentum vivum eſt metallum imperfectum, ac veluti in via ad illam congelationem, per quam fiunt perfecta metalla, hæc enim ex hydrargyro, & ſulphure ſimul tanquam ex ſua propria materia formari credunt. Hydrargy-

rum

rum eſt maxime fluxile, & excepto auro gravius eſt omnibus metallis, ideoque cætera in ipſo natant. Si ei admoveatur ignis, ſtatim avolat, & veluti in fumum abit: ſi vero partes diſtrahantur, ſtatim ſe iterum conglobant, & in unum coeunt. Inſervit hydrargyrum ad ſeparandum aurum, & argentum a reliquis metallis: ſi tamen inauranda ſint metalla, nequit ipſis conſtanter aurum uniri, niſi ope hydrargyri, &c.

IN TRES
ARISTOTELIS
LIBROS
DE ANIMA
DISPVTATIO I.

ANimæ cognitionem inter cætera præclariſſimam, & ſummis expetendam votis cenſuit Ariſtoteles, eo quòd animæ notitia habita, ad omnem propemodum veritatem aditum patere, experimento compertum eſt, ideoque hic tex. 2. inquit: *Videtur autem, & ad veritatem omnem cognitio ipſius multum conferre: maximè autem ad naturam, eſt enim tanquam principium animalium*. Mirum propterea videri non debet, quòd in hac re pertractanda tam ſedulam impenderit operam Philoſophus, ut ſe ipſo major apparuerit, optimè namque noverat fieri nequaquam poſſe, ut

ut homo, animæ naturam, & dignitatem agnoſcens, ad boni amorem, ac vitæ honeſtatem non incitetur, quæ duo a philoſopho præcipuè quærenda, & amanda ſunt.

Anima indignus eſt, qui animam exiſtere dubitet, cum enim nomine animæ nihil aliud intelligatur, niſi principium vitalium operationum in compoſito naturali, quales ſunt moveri ab intrinſico, vegetare, ſentire, intelligere, &c. & hoc principium ineſſe pateat ad ſenſum, & oculis, omnes aſpiciant, nequit ab homine ſanæ mentis tanta veritas in dubium revocari.

QVÆSTIO I.
Quid ſit Anima.

ANimam eſſe tenuiſſimum quoddam corpus magna præditum activitate, quod unitum localiter craſſiori corpori organico, motum, & alias operationes in ipſo efficiat, docuerunt quidam Antiqui; inter quos Democritus, & Leucippus putarunt tale corpus eſſe ignem, ſeu atomos figuræ rotundæ, ratione cujus figuræ, poſſint facile penetrare per

totum

totum corpus craſſius, & ipſum movere.

Anaxagoras animam credidit eſſe intellectum quendam omnibus animalibus cuiuſvis ſpeciei infuſum.

Empedocles, & Plato animam eſſe ex elementis putarunt.

Manichæus inter alios ſuos errores hunc pariter fovet, ſcilicet quòd nihil eſſe ſpirituale, atque adeo animam omnem eſſe corporalem aſſeruit. Ariſtoteles primo libro fere totus eſt in his refellendis opinionibus, quæ animam corpoream ponunt, & initio ſecundi animam definit.

Dico prmo. Nulla anima eſt corpus.

Prob. I. ratione Ariſt. hic tex. 72. Nullum corpus poteſt naturaliter penetrari, ſeu eſſe ſimul in eodem loco cum alio corpore, ut patet experientia: ſed omnis anima penetratur, ſeu eſt ſimul in eodem loco cum corpore, quod animat; ergò nulla anima eſt corpus. Minor eſt evidens experientia, videmus enim, quòd in eodem loco, in quo eſt corpus animatum ſunt etiam vitales operationes, atque adeo ibidem eſt princi-

pium

pium ipſarum, quod eſt anima; ergò anima eſt ſimul in eodem loco cum corpore animato.

Prob. II. Quia anima eſt id, quo corpus vivit: ſed id, quo corpus vivit, non eſt corpus; ergò anima non eſt corpus. Min. prob. quia id, quod convenit corpori non ut corpus eſt, ſed ut eſt corpus tale, convenit ei per aliquid, quod non eſt corpus: ſed anima convenit corpori, quod animat, non ut corpus eſt, ſed ut eſt corpus tale; ergo anima non eſt corpus. Confirmatur quia corpus omne eſt tale corpus per formam, qua differt ab aliis corporibus; ergò ſi forma corporis eſſet corpus, etiam ipſa eſſet tale corpus, atque adeo eſſet talis per formam, & ſic daretur forma formæ in infinitum.

Dico II. *Anima eſt actus primus corporis naturalis organici potentia vitam habentis* ita Ariſt. lib. 2. tex. 5. & 6.

Prob. bonitas talis definitionis ſic. Conſtat ea definitio proprio genere, & propria differentia; ergò optima eſt. Antecedens patet. nam, ut oſtendi ſuperiori concluſione, genus animæ non eſt corpus, ſed actus ſubſtantialis corporis; ergò dum defini-

tur *actus primus corporis*, definitur proprio genere. Rurſus anima ordinatur proximè, ac immediatè ad conſtituendum corpus animatum habens poſſe exercere tales operationes, & in hoc primò differt a reliquis actibus, ſeu formis ſubſtantialibus, ut propria differentia; ergo definitur anima per propriam differentiam; ergo allata definitio eſt optima.

Ex his intelligitur, quòd ly *primus* in allata definitione non intelligitur de prioritate temporis, aut executionis, quaſi anima priùs tempore, quàm quilibet alius actus debeat informare corpus, ſed intelligitur primus prioritate dignitatis, & intentionis, eſt enim anima actus ille, qui principaliter, & primò intenditur a natura, & ad quem ordinantur alia, quæ in compoſito reperiuntur, ut ſunt accidentia, quæ diſponunt materiam ad recipiendam animam, & illa, quæ animæ jam introductæ in materiam famulantur. Dicitur *corporis naturalis*, quia corpus animatum non eſt corpus artificiale, nec mathematicum, ſcilicet precisè per trinam dimenſionem conſtitutum, ſed eſt naturale, videlicet con-

ſtitu-

ſtitutum per hoc, quòd habeat in ſe principium ſui motus ſenſibilis. Dicitur *organici*, quia cum anima multas, & diverſas operationes exercere debeat, indiget etiam ſubjecto heterogeneo, habente ſcilicet varias partes, qualitates, & facultates, quæ ſunt organa, ſeu inſtrumenta ad varias illas operationes exercendas, ut ſunt in arboribus medulla, lignum, cortex, ſolia cum filamentis, fibris, &c. in animalibus verò caro, cerebrum, cor, hepar, venæ, oſſa, &c.

Ex his intelligite duplicem in omni vivente dari vitam, ſubſtantialem ſcilicet, & accidentalem. Subſtantialis eſt principium primum operationum vitalium, & de hac vita inquit Ariſt. 2. de anima tex. 36. *vivere viventibus eſt eſſe*. Accidentalis, ſunt ipſæmet operationes vitales, ut vegetare, ſentire, videre, intelligere, &c. Vita ſubſtantialis dicitur vita in actu primo: accidentalis vocatur vita in actu ſecundo; anima itaque eſt vita ſubſtantialis, & in actu primo, ideoque dicitur *actus primus*, qui habet in potentia vitam in actu ſecundo, nempe vitales operationes, & propterea in allata definitione dici-

tur *potentia vitam habentis*. De vita in actu ſecundo, ſeu accidentali loquitur Ariſtoteles lib. 2. tex. 3. dicens: *vitam autem dicimus, quæ per ipſam fit alitionem, augumentationem, & diminutionem*.

Aliam animæ definitionem affert Philoſophus eodem libro tex. 24. ſic. *Anima autem id eſt quo vivimus, & ſentimus, & movemur, & intelligimus primò*. Putant aliqui cum Simplicio. 2. de anima cap. 2. fuiſſe hic ab Ariſtotele definitam ſolam animam rationalem, cui ea omnia copulativè competunt, ad quam definitionem reſpiciens D. Auguſtinus lib. de quantitate animæ cap. 13. humanam animam definivit: *Anima eſt ſubſtantia quædam rationis particeps, regendo corpori accomodata*. Alii tamen communiùs, & meliùs affirmant, fuiſſe hic ab Ariſtotele definitam animam in communi, ita ut uſurpans vocabula illa, vivimus, ſentimus, movemur, & intelligimus, diſiunctivè acceperit, ita ut ſit ſenſus, animam eſſe id, quo aliqua vivunt tantùm, ut ſunt vegetabilia: aliqua vivunt, & ſentiunt, ut ſunt zoophita: alia vivunt, ſentiunt, & moventur, ut ſunt bruta: alia denique vivunt, ſentiunt, moventur, & intel-

[library stamp]

intelligunt, ut ſunt homines. Hanc fuiſſe Philoſophi mentem clarum eſt ex iis, quæ dixit ibidem tex. 23. *Adhuc autem quibuſdam animalium omnia inſunt hæc, quibuſdam verò quædam horum, aliis autem unum ſolum.*

Quæres quid veniat in definitione animæ nomine corporis naturalis organici, potentia vitam habentis; an ſcilicet ſola materia cum diſpoſitionibus proportionatis ad recipiendam animam, ſed adhuc carens anima: an vero totum compoſitum jam animatum, ſeu includens ipſam animam?

Reſp. cum D. Thoma 1. p. q. 76. art. 4. quòd cum Ariſtoteles dicat, animam eſſe actum non corporis tantùm, ſed corporis naturalis organici potentia vitam habentis, & corpus cum non habeat potentia vitam, niſi cum actu eſt animatum, ideo nomine corporis naturalis organici, potentia vitam habentis, non venit ſola materia cum debitis diſpoſitionibus, ſed venit totum compoſitum vivens, ſeu ut non excludens animam, eo modo, quo dum dicitur calor eſt actus calidi, lumen eſt actus lucidi, non venit ſe-

orſim calidum ſine calore, & lucidum ſine luce, ſed calidum ut includens calorem, & lucidum ut includens lucem.

Ex his liquet, quòd in allata definitione definitur anima non per comparationem ad aliam compartem, ſcilicet materiam, cum qua conſtituit totum vivens, ſed per comparationem ad ipſum totum, cujus ipſa eſt actus.

Ob. I. contra primam concluſionem. Anima cognoſcit corpora: ſed cognoſcens debet eſſe ſimile cognito; ergò anima eſt corpus.

Reſp. Diſtinguo minorem: cognoſcens debet eſſe ſimile cognito ſimilitudine reali nego, ſimilitudine intentionali concedo. Debet igitur cognoſcens aſſimilari cognito ſecundùm ſpeciem, ſeu imaginem cogniti, quæ in ipſum cognoſcens recipiatur, non autem debet eſſe realiter tale, quale eſt cognitum, alioquin oculus videns lapidem deberet eſſe lapis, intellectus cognoſcens cœlum deberet eſſe cœlum, quæ omnia ſunt abſurda.

Ob. II. contra ſecundam concluſionem. Animæ definitio convenit

alteri

alteri, ſcilicet formæ embrionis, & formæ cadaveris; ergo non eſt bona. Antecedens probatur, nam etiam forma embrionis, & forma cadaveris ſunt actus corporis naturalis organici, eadem enim organa, quæ ſunt in vivente, erant in embrione, & remanent in cadavere; ergo &c.

Reſp. Corpus, cujus ſunt actus forma embrionis, & forma cadaveris, eſt quidem organicum, ſed non habet actu potentiam, ſcilicet principium vitalium operationum, ut requiritur in corpore, ad cujus comparationem definita eſt anima: cum ergò in definitione animæ ſermo ſit de corpore organico, non quomodocumque, ſed habente actu principium vitæ accidentalis, ſeu vitalium operationum, ideoque dicitur, *potentia vitam habentis*, cujus ratio non reperitur in embrione, neque in cadavere, in quibus tale principium vitæ accidentalis non datur actu, propterea formis embrionis, & cadaveris non competit animæ definitio.

QVÆSTIO II.
In quo conſiſtat conceptus vitæ.

BReviter examinanda eſt præſens difficultas, ut pleniùs intelligatur allata definitio animæ, cum enim anima ſit definita in ordine ad corpus habens vitam in potentia, neceſſe omnino eſt ſcire quid ſit vita.

Dico. Conceptus vitæ in actu ſecundo conſiſtit in hoc, quòd ſit motus ſubſtantiæ a ſe, & in ſe ſecundum ſuam naturam.

Prob. quia vita in actu ſecundo eſt id, quo poſito, & intellecto, aliquid intelligitur vivere, & quo non poſito, & non intellecto, licet ponantur omnia alia, non intelligitur vivere: ſed poſito, & intellecto, quòd aliquid ſe moveat, dum eſt in ſtatu ſuo naturali, intelligitur vivere, & hoc non poſito, & non intellecto, licet ponantur, & intelligantur omnia alia, non intelligitur vivere; ergò vivere conſiſtit in prædicto motu. Min. eſt manifeſta, quia ſtatim ac aliquid intelligitur ſe ipſum movere motu dilatationis, & conſtrictionis in reſpirando, motu nutri-

tri-

tritionis, augumentationis ab intrinſeco, & ſimilibus, intelligitur vivere: ſtatim vero ac hi, & ſimiles motus intelliguntur non adeſſe, licet adſint cætera omnia, intelligitur non vivere, ſic dicimus non vivere lapidem, cadaver, & ſimilia, quia omnibus iis poſitis, quæ ad naturalem iſtorum ſtatum ſpectant, non movent ſe ipſa; ergo in prædicto motu conſiſtit vita in actu ſecundo.

Ex his facile intelligitur quid ſit vivere in actu primo, nempe, *In quo ſubſtantia primò eſt proximè potens movere ſe ipſam in ſtatu ſuo naturali exiſtens*. Intelligitur etiam quid ſit vivens, ſcilicet, *Id quod in ſtatu ſuo naturali ſe ipſum movet*.

Ob. Etiam gravia, & levia movent ſe ipſa ſecundùm ſuam naturam, cum ſit ex natura gravis movere ſe deorsum, ex natura levis movere ſe ſursum, & tamen non vivunt; ergò in tali motu non conſiſtit vita.

Reſp. Gravia, & levia movent ſe ipſa, ſed non ſecundùm ſuam naturam, quia moveri ſecundùm ſuam naturam eſt moveri ſubſtantiam, quando eſt in ſua perfectione, & ſta-

tu naturali: gravia autem;, & levia moventur ſolùm, quando ſunt extra ſtatum, ſeu locum ſibi connaturalem, ſic videmus gravia in ſuo centro exiſtentia nunquam movere ſe, & idem patet de levibus: at animata movent ſe in ſua perfectione, & ſtatu naturali, imo quo magis ad talem perfectionem, & ſtatum accedunt, eo magis ſe movent, ſic animalia, & plantæ quo magis perficiuntur, eo magis ſe movent; quare motus gravium, & levium eſt motus per accidens, fit enim in ipſis, ſuppoſito quòd per accidens removeantur a ſtatu ſibi connaturali, nec propriè tribuitur ipſis, ſed generanti; cùm enim qui dat eſſe, det conſequentia ad eſſe, generans prævidens fore, ut gravia, & levia poſſent a ſuis locis connaturalibus removeri, tribuit ipſis gravitatem, & levitatem, per quas ad ſua loca in eo caſu poſſent reduci: animalium verò, & plantarum motus competunt ipſis non per accidens, ſed ex propria natura, cum omne vivèns habeat ex propria natura nutriri, augeri, &c.

Ob. II. Deo competit perfectiſſi-

ma

ma vita, & tamen non competit ſe movere, cum ſit immobilis; ergò ratio vitæ non conſiſtit in prædicto motu.

Reſp. Diſtinguo antecedens, Deo non competit ſe movere motu, qui ſit actus imperfecti concedo, motu qui ſit actus perfecti nego. Advertite igitur, quòd vita creaturæ conſiſtit in motu, qui eſt actus ſimul perfecti, & imperfecti: eſt actus perfecti, quatenus creatura vivendo agit, unumquodque enim agit inquantum perfectum eſt: eſt actus imperfecti, quatenus per actum vitalem mutatur, cum ſe melius habeat, cum actu vitali, quàm ſine illo; unumquodque autem mutatur quatenus impefectum eſt; quare creaturæ vita in actu ſecundo eſt actus ſimul moventis, & mobilis. In Deo cum ſit vita perfectiſſima eſt demptis omnibus imperfectionibus, alioquin perfectiſſima non eſſet, cum ergo mutari intrinſecè ſit imperfectio, eſt in Deo vita ſecundùm id, quod eſt actus perfecti, ſcilicet ſecundùm quod eſt agere, non autem ſecundùm actum imperfecti, ſcilicet mutari; Deus ergo agit, ſeu immanen-

ter operatur, & per hoc vivit, non autem mutatur agendo, ſicuti mutatur creatura: dum autem dicitur Deus immobilis intelligitur de motu, qui eſt imperfecti actus, non autem de motu, qui eſt actus perfecti. Ex his facile eſt intelligere actum vitalem Dei non eſſe quid diſtinctum ab ipſa ſubſtantia Dei, ut eſt diſtinctus actus vitalis creaturæ a ſubſtantia ejuſdem creaturæ, quia ſi eſſet diſtinctus a ſubſtantia Dei, Deus perficeretur producendo talem actum, & ſic immutaretur intrinſecè, quod Deo convenire non poteſt. Similiter intelligitur facile cur actus vitalis creaturæ non poſſit identificari cum ipſa ſubſtantia creaturæ, quia videlicet cum ſit de ratione actus vitalis eſſe a principio intrinſeco, ſubſtantia autem creaturæ eſſentialiter ſit a Creatore, quod eſt principium ejus extrinſecum, eſt impoſſibile, quòd talis ſubſtantia ſit actus vitalis: econtra verò cum Dei eſſe a nullo alio ſit, ſed ſit a ſe, actus vitalis ipſius eſt maximè vitalis per hoc, quod identificatur cum ejus eſſentia, quæ eſt intrinſece a ſe.

QVÆ-

QVÆSTIO III.

Quot ſint animarum genera, & animatorum gradus.

VT propoſitæ quæſtionis veritas magis eluceſcat, prænotandum eſt, quòd cum ex dictis præcedenti quæſtione dicantur res vivere quatenus agunt ex ſe, ſeu quatenus movent ſe ipſa, non verò ab aliis mota, quo perfectiùs competit alicui agere ex ſe, tantò perfectior vita in ipſo reperitur.

Dantur ergo quædam, quæ ita agunt ex ſe ipſis, ut tam forma, quæ eſt in ipſis principium agendi, quàm finis, qui eſt extrinſecum principium agendi ſint ipſis a natura præſtituta, hujuſmodi ſunt herbæ, plantæ, & omnes ſubſtantiæ purè vegetabiles, quæ non intendunt finem, ad quem moventur, nec habent formam a ſe, ſed a generante, qui modus vivendi propterea imperfectiſſimus eſt.

Rurſus dantur alia, quæ ſe movent ad finem per quandam formam a ſe acquiſitam, ſcilicet per cognitionem non purè ab aliquo agente extrinſeco, ſed a ſe ipſis productam; ita

ita tamen ad finem ſe movent, ut non percipiant proportionem, quæ intercedit inter finem, & media ad ipſum conducentia: ſic ſe movent bruta, quæ non purè determinantur ad motum ab anima, quam accipiunt a generante, ſed a cognitione ſenſitiva, quam ipſamet producunt, ut patet in cane ſe movente ad inſectandum leporem, quem ipſemet cognoſcit, & in aliis, qui modus vivendi eſt perfectior, quàm obſervatus in plantis.

Denique dantur alia, quæ ita agunt ex ſe, ut ſe moveant ad finem non modo per formam, ſeu cognitionem a ſe productam, ſed cognoſcant proportionem mediorum cum fine, & illa ad ipſum ordinent: hoc pacto ſe movent intellectivæ ſubſtantiæ, qui modus vivendi eſt aliis duobus obſervatis longè perfectior.

Non eſt tamen in ſubſtantiis intellectivis creatis perfectiſſimus iſte vivendi modus, quia non eſt omnino, & perfectiſſimè ab intrinſeco, ſed aliquo pacto pendet ab extrinſeco, ſcilicet a Deo, qui animam intellectivam creat: ſecundo ſe movent per formam, ſeu cognitionem ita pro-

productam a ſe ipſis, ut ſimul ſit ab alio, ſcilicet ab objecto: Tertio ita ſuas actiones producunt, ut ſimul tales actiones producantur a Deo, qui ad omnes motus, & actiones ſecundarum cauſarum concurrit. Quarto denique, quia moventur ad operandum a fine extrinſeco, & ab ipſis diſtincto, & ad ultimi finis intentionem determinantur ab agente extrinſeco, ſcilicet a Deo. Econtra modus vivendi divinus perfectiſſimus eſt, quia Deus agit ſe ipſum per ſuam naturam, & cognitionem, veluti per formam, quam omnino a ſe ipſo, non vero ab ullo alio habet, nam ad intelligendum, & amandum non habet aliud objectum formale, & motivum, quàm ipſam ſuam eſſentiam. Denique non habet finem extra ſe, ſed ipſe ſibi eſt ſuus finis, atque adeo dum movetur a fine, movetur a ſe ipſo. His poſitis.

Dico I. Tria ſunt animarũ genera.

Prob. quia tot ſunt animarum genera, quot ſunt principia vitalium operationum magis, aut minùs materialium: ſed hæc principia tria ſunt; ergò tria ſunt genera animarum. Min. patet ex dictis, nam datur

tur unum principium vitalium operationum omnino materialium, ut in herbis, & plantis: datur aliud principium operationum omnino immaterialium, ſcilicet intelligendi, & volendi in hominibus: datur denique principium aliud medium inter omnino materiale, & immateriale, quale eſt in brutis cognitione ſenſitiva præditis; ergo dantur tria genera principiorum vitalium operationum, ſeu animarum.

Dico II. Tria ſunt genera animatorum.

Prob. quia non poſſunt eſſe plura conſtituta, quam ſint conſtituentia: ſed animæ conſtituentes animatum ſunt tres; ergo animatorum genera ſunt tria, ſcilicet vegetativum, ſenſitivum, & rationale. Nec huic veritati repugnat Philoſophus, dum quatuor recenſet animatorum genera, ſubdividendo ſenſitivum in illud, quod non eſt loco motivum, ut ſunt oſtreæ, zoophita, &c. & in illud, quod eſt loco motivum, ut ſunt bruta, quia loquebatur ex mente vulgi, non autem ſecundùm propriam.

Præter hæc aſſignat Ariſtoteles lib. 2. tex. 27. quinque potentiarum genera

nera dicens: *Potentias autem diximus vegetativum, ſenſitivum, appetitivum, motivum ſecundum locum, cogitativum.* Quæri poſſet, cur inter potentias non aſſignaverit volitivum? ad quod facile reſpondetur, quod cum velle ſit formaliter appetere, ſub nomine appetitivi intellexit etiam volitivum, & hanc ejus fuiſſe mentem patet manifeſtè ibidem dum addit: *Appetitus enim concupiſcentia eſt, & ira, & voluntas.*

Hic unum placet advertere, quòd hic enumerantes genera animarum, animatorum, & potentiarum, nomine generis non intelligimus genus logicum, ſed intelligimus genus latè acceptum, ſcilicet ordines prædictorum.

QVÆSTIO IV.

Vtrum una, vel plures animæ ſint in eodem vivente.

PLato in Timæo, & 4. & 9. de Republica docuit plures in eodem vivente animas reperiri: in homine quidem diſcurſivam reſidentem in cerebro: concupiſcibilem reſidentem in hepate, & iraſcibilem reſidentem in corde. In brutis verò

loco diſcurſivæ ponebat cognoſcitivam reſidentem in cerebro, & reliquas in locis nuper aſſignatis.

Averroes 3. de anima Comm. 5. putavit dari in quolibet animali tres animas in eodem corpore penetratas, ſcilicet vegetativam, ſenſitivam, & cognoſcitivam.

Iacobus, & alii Syrorum duas in homine ponebant animas, animalem unam, qua animetur corpus, ſpiritalem alteram, qua ratiocinetur.

Manichæi duas rationales animas exiſtimabant ineſſe cuilibet homini, alteram bonam, & ſine labe creatam à bono Deo; alteram malam, & vitioſam a malo Deo, ſeu Dæmone productam.

Paulus Venetus in ſumma de anima cap. 5. arbitratus eſt, in homine eſſe duas animas, ſcilicet intellectivam, & ſenſitivam, plurimas verò vegetativas, tot nimirum, quot ſunt partes hominis diverſæ, ita ut alia ſit in carne, alia in oſſibus, alia in nervis, &c.

Henricus Gandavenſis quodlibet. 2. q. 2 & 3. quodl. 4. q. 13. & 14. & Scotus in 4. diſt. 11. q. 3. docent unicam quidem eſſe in homine animam

mam, & hanc rationalem, quæ virtute contineat vegetativam, & ſenſitivam; ſed ſentiunt reperiri ulteriùs aliam formam ſubſtantialem in homine, per quam homo ſit corpus mixtum, quam proinde vocant formam corporeitatis.

Thomiſtarum quidam putant unicam quidem eſſe in homine animam, ſed reperiri deinde ſimul cum anima plurès formas ſubſtantiales partiales in diverſis partibus, puta aliam oſſis, aliam carnis, aliam cerebri, aliam nervorum, &c.

In tanta ſententiarum varietate pluribus concluſionibus rem ita dilucidare conabor, ut priùs de anima hominis, poſtea de reliquis diſſeram.

Dico. I. In homine unica tantum eſt anima rationalis, quæ eadem vegetativa eſt, & ſenſitiva.

Prob. I. ex PP. & Conciliis. Patres quidem ita unanimiter hoc ſentiunt omnes, ut de homine agentes unius ſemper mentionem animæ faciant; & ne a propoſita brevitate diſcedam aliquorum dumtaxat verba hic referam D. Gregor. Nyſſen. de hominis opificio cap. 14. *vera, & perfecta anima re ipſa unica quidem eſt,* *intel-*

intelligens, nulla ex materia craſſa conſtans, ſed per ſenſus naturæ illi craſſæ mixta, & cap. 29. *Cum unus, & idem homo ſit, qui corpore, & animo conſtat, unum eſſe, communeque tribuendum ei dicimus principium exiſtendi*. D. Baſilius Seleucienſis orat. in Annuntiat. Deiparæ: *Totum corpus noſtrum inſtrumenti quodam modo vicem obtinet: neque enim illud quidquam a ſemetipſo facit. Per ipſum enim anima, veluti muſicus quidam, aut virtutis ſonos ferit, aut improbitatis ſtrepitus edit*. Ioannes Maxentius Dialogo 2. cathol. *Totam (animam) in unoquoque membro corporis ſui eam eſſe credo* D. Ioannes Damaſcenus lib. 2. orthodoxæ fidei cap. 12. *anima eſt viva, ſimplex, & corpore vacans ſubſtantia, corporeorum oculorum ſenſum ſuapte natura fugiens, immortalis, rationis, & intelligentiæ particeps, figuræ expers, organico corpore utens, eique vitam, incrementum, ſenſum, & gignendi vim tribuens, &c.* Synodus octava Generalis can 2. *Apparet quoſdam id temporis in tantum impietatis veniſſe, ut hominem duas animas habere imprudenter dogmatizarent. Talis igitur impietatis inventores, & ſimilia ſapientes, cum vetus, & novum Teſtamentum, omneſque Eccleſiæ Patres unam animam rationalem habere*

homi-

hominem aſſeruerint Sancta, & univerſalis Synodus anathematizat. In Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. Firmiter de ſumma Trinitate dicitur Deus feciſſe hominem ex corpore, & ſpiritu compoſitum. Conſonant hæc divinis ſcripturis, quæ de homine loquentes nunquam mentionem faciunt niſi unius animæ, ſic Geneſis 2. *Inſpiravit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem*, ubi non dicitur, *ſpiracula*, ſed *ſpiraculum*, neque *animas*, ſed *animam*, Mathæi pariter 20. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.*

Prob. II. quia indubitatum eſt, quòd animal prædicatur per ſe, & eſſentialiter de homine: ſed ſi per aliam animam conſtitueretur in eſſe hominis, per aliam ineſſe animalis, &c. animal non prædicaretur per ſe de homine; ergo non conſtituitur homo in eſſe hominis, animalis, &c. niſi per unam, & eamdem animam rationalem. Min. probatur, quia neque prædicaretur animal de homine primo modo per ſe, neque ſecundo modo per ſe; ergò nullo modo per ſe prædicaretur de homine. Antece-

cedens probatur; nam prædicari primo modo per ſe eſt predicatum identificari cum eſſentia ſubjecti formaliter conſiderati e. g. dum dico *ſubſtantia eſt ens* prædicatum *ens* dicitur in primo modo per ſe de ſubſtantia, quia *ens* eſt de eſſentia ſubſtantiæ, ut ſubſtantia eſt: ſed prædicatum *animal* non identificaretur cum eſſentia hominis formaliter ut homo eſt, ſi homo per unam formam, puta rationalem, conſtitueretur homo, per aliam, puta ſenſitivam, conſtitueretur animal; ergò animal non prædicaretur de homine in primo modo per ſe: ſed neque prædicaretur in ſecundo modo per ſe, quia ad hoc ut aliquid prædicetur in ſecundo modo per ſe, debet in definitione prædicati poni neceſſario ſubjectum, ut cum dicitur *homo eſt riſibilis, corpus eſt coloratum*: nam in definitione riſibilis ponitur homo, in definitione colorati ponitur corpus: ſed in definitione animalis non ponitur homo, ſed potiùs econtra ponitur animal in definitione hominis; ergò animal non prædicaretur de homine in ſecundo modo per ſe; ergo nullo modo per ſe prædicaretur de homi-

homine, atque adeo prædicaretur per accidens: ſed hoc eſt falſum, ergò, &c.

Prob. III. quia homo (idemque valet de quolibet ſingulari vivente) eſt unum ens per ſe, & ſimpliciter: ſed non eſſet hujuſmodi, ſi actu haberet plures animas; ergò, &c. Min. prob. quia unum ens per ſe, & ſimpliciter eſt, quod habet ſimpliciter unum eſſe: ſed ſi haberet actu plures animas, haberet actu plura eſſe; ergò, &c. Min. eſt manifeſta, quia animæ illæ non eſſent univerſales, ut ideæ Platonis, ſed eſſent individuæ, & ſingulares; & cum nullum ſit individuum ſub determinato genere, quod non ſit etiam in determinata ſpecie, tales animæ eſſent in ſpecie determinata ſub genere v. g. vegetativæ, & ſenſitivæ; ergo homo ſub genere viventis eſſet aggregatum ex tribus ſpeciebus, nempe talis plantæ, talis bruti, & hominis; ergo non eſſet unum ens per ſe, & ſimpliciter. Confirmatur quia ideò homo albus, dives, &c. non eſt unum ens ſimpliciter, ſed per accidens, quia per diverſam formam conſtituitur in eſſe hominis, per diverſam in eſſe albi, & di-

& divitis; ergo ſimiliter ſi per unam formam conſtitueretur in eſſe hominis, per aliam in eſſe vegetativi, & ſenſitivi, non eſſet homo unum ens ſimpliciter, ſed ſolum per accidens. Addite quod ſi in eadem materiæ parte eſſent cum anima rationali aliæ formæ ſubſtantiales, ſola anima vegetativa eſſet forma ſubſtantialis, ceteræ enim formæ, ſcilicet ſenſitiva, & rationalis advenirent materiæ, quæ per animā vegetativam eſſet ens in actu, & haberet primum eſſe, atque adeo reliquæ ſolùm per accidens illi advenirent; hoc autem eſt falſum; ergo, &c.

Probatur denique ratione Theologica; nam ſi homo conſtitueretur ex animabus vegetativa, & ſenſitiva diſtinctis a rationali, etiam Chriſtus tales animas habuiſſet: ſed Chriſtus teles animas non habuit; ergo homo non conſtituitur ex prædictis animabus. Major eſt indubitata ex principiis fidei docentis Chriſtum habuiſſe veram naturam humanam. Min. prob. nam ſi Chriſtus eas animas habuiſſet, vel fuiſſent in ejus morte corruptæ, cum ex natura ſua ſint corruptibiles, vel fuiſſent per mira-

miraculum conſervatæ: ſed neutrum eſt verum: non primum, quia eſt axioma Theologorum *Chriſtus quod ſemel aſſumpſit numquam dimiſit*, dimiſiſſet autem eas animas, ſi fuiſſent corruptæ; ergò, &c. non ſecundum, quia apud Patres inauditum eſt tale miraculum, atque adeo ſine ullo prorſus fundamento affirmaretur; ergò non fuerunt in Chriſto tales animæ; ergo neque ſunt in cæteris hominibus.

Dico II. In homine (idemque valet de quovis alio compoſito) datur unica forma ſubſtantialis totalis, atque adeo non eſſet admittenda forma corporeitatis.

Prob. quia intellecta præciſè anima rationali unita materiæ (idemque dico de aliis formis ſpecificis in reliquis viventibus) intelligitur, & habetur quidquid Adverſarii ſalvare volunt per formam corporeitatis, ſcilicet hominem eſſe corporeum; ergò ſuperflua eſt quævis alia forma corporeitatis diſtincta ab anima rationali. Antecedens probatur, nam intellecta præciſè anima rationali unita materiæ, dat homini eſſe ſubſtantiale: jam peto, vel hoc eſſe ſubſtan-

ſtantiale, quod tribuitur ab anima rationali, eſt incorporeum, vel corporeum: non primum, alioquin eſſe hominis eſſet eſſe incorporeum; ergò eſt eſſe ſubſtantiale corporeum: ſed hoc eſt, quod Adverſarii ſalvare volunt per formam corporeitatis diſtinctam ab anima rationali; ergò intellecta præciſè anima rationali unita materiæ, intelligitur, & habetur, quidquid Adverſarii ſalvare volunt per formam corporeitatis; ergò non datur talis forma corporeitatis diſtincta ab anima rationali in homine; ergò datur unica forma ſubſtantialis totalis, nempe anima rationalis. Refellitur etiam efficaciter forma corporeitatis per ea, quibus rejecimus ſuperiori concluſione pluralitatē animarum, quæ poſſunt ad rem præſentem facilè transferri.

Dico III. Neque dantur in eodem vivente plures formæ ſubſtantiales partiales in diverſis partibus organicis, ut in carne, oſſibus, cerebro, hepate, nervis, &c. ſed una, & eadem anima omnes informat:

Prob. quia ſi admitterentur formæ ſubſtantiales partibus, ſingulæ illę formæ conſtituerent ſubſtantiam in ali-

qua

qua ſpecie, eſſent enim formæ individuæ, & ita caro eſſet ſubſtantia unius ſpeciei, oſſa alterius ſpeciei, & ſic de cæteris: ſed hoc pacto tales res non poſſent eſſe partes ſubſtantiales hominis (idemque valet de reliquis viventibus) ut de facto ſunt; ergò non ſunt admittendæ prædictæ formæ ſubſtantiales partiales. Min. prob. quia quod eſt in una ſpecie ſubſtantiæ, nequit conſtituere ſubſtantiam alterius ſpeciei; ergò caro, oſſa, & ſimilia, quæ eſſent in ſpecie ſubſtantiæ diverſæ ab homine, non poſſent conſtituere ſubſtantiale eſſe hominis; ergò non poſſent eſſe partes ſubſtantiales hominis: ſed hoc eſt falſum; ergò non ſunt admittendæ formæ ſnbſtantiales partiales. Rurſus nulla poteſt afferri repugnantia, ut patebit ex ſolutione objectionum, propter quam denegetur animæ rationali conſtituere eſſe ſubſtantiale carnis, oſſis, nervorum, &c. ergò ſupervacaneæ ſunt prædictæ formæ ſubſtantiales partiales.

Ob. I. contra primam concluſionem. Apoſtolus 1. ad Theſſalonicenſes 5. ait: *Ut integer ſpiritus veſter, &*

 anima

anima, & corpus ſine querela in adventum Domini noſtri Ieſu Criſti ſervetur: ſed hìc Apoſtolus diſtinguit inter ſpiritum, & animam: ergò ſignificat dari in homine plures animas. Rurſus idem Apoſtolus dicit: *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem*: ſed una, & eadem anima non poteſt habere appetitus ſimul ad contraria; ergò ſunt plures animæ.

Reſp. cum S. Thoma ſuper eumdem locum, quòd Apoſtolus utroque vocabulo ſignificat unam, & eandem animam, ſed vocat ipſam *ſpiritum*, quatenus eſt prædita intellectu, qui ut diccemus, non eſt actus corporis; *animam* vero appellat quatenus informat corpus. Ad ſecundum reſpondeo nullam eſſe repugnantiam, quòd una, & eadem anima ſecundùm diverſas potentias, & in ordine ad diverſas rationes objectorum, habeat diverſas inclinationes, præſertim cum potentiæ ſenſitivæ ſint immerſæ corpori, rationales verò a corpore non pendeant.

Ob. II. Si per unicam animam conſtitueretur homo, non eſſet formaliter vivens, & ſenſitivus; ergò, &c.

An-

Antecedens probatur, quia non haberet homo animam niſi rationalem: ſed hæc non eſt formaliter vegetativa, & ſenſitiva; ergò, &c. Min. patet, nam anima, quæ eſt formaliter vegetativa, vel ſenſitiva, non eſt formaliter rationalis, alioquin omne vegetativum, & ſenſitivum eſſet rationale.

Reſp. Duplici modo poteſt aliquid dici vegetativum, aut ſenſitivum. Primo abſtrahendo ſimpliciter a perfectiori gradu, in quo ſenſu vegetativum eſt, quod poteſt habere operationes vegetativas, præſcindendo an etiam habere poſſit ſenſitivas, & intellectivas, vel non, ſicuti ſenſitivum eſt, quod poteſt habere operationes ſenſitivas, præſcindendo an poſſit etiam habere intellectivas, vel non. Secundo modo dici poteſt vegetativum cum negatione ulterioris gradus, ita ut vegetativum dicatur, quod poteſt habere tantùm operationes vegetativas, ſenſitivum, quod poteſt habere tantùm ſenſitivas. Primo modo anima rationalis eſt formaliter vegetativa, & ſenſitiva. Secundo modo anima rationalis non eſt vegetativa, & ſenſitiva, niſi vir-

tualiter, & eminenter, quia perfectiori modo confert homini, quod confert plantæ anima vegetativa tantùm, & bruto anima ſenſitiva tantùm. Ex his patet ſolutio ad argumentum.

Ob. III. contra ſecundam concluſionem cum Henrico, & Scoto. Anima rationalis eſt indiviſibilis, & inextenſa; ergò nequit dare formaliter eſſe corporeum, quod eſt diviſibile, & extenſum. Secundò omnia cadavera humana antequam in cineres reſolvantur ſunt ejuſdem ſpeciei: ſed nequeunt eſſe talia per formam de novo productam, cum a tam diverſis cauſis corrumpentibus non poſſit eadem ſpecie forma produci; moritur enim unus homo in igne, alter in aqua, alter ex abundantia humidi, alter ex abundantia caloris, &c. ergò ſunt talia per unam, & eandem ſpecie formam corporeitatis, quam habebant ante mortem ſimul cum anima, & quæ remanet poſt mortem. Tertiò quia Corpus Chriſti fuit idem numerò mortuum, ac erat vivum; ergò retinuit eandem numero formam corporis poſt mortem, quam habebat ante mortem;

ſi enim mutaſſet formam, fuiſſet non ſolùm diverſum numero, ſed ſpecie.

Reſp. Ad primum conceſſo antecedenti, diſtinguo conſequens: anima rationalis nequit dare eſſe corporeum præciſè per ſe, & ratione ſui, concedo, ratione materiæ, quam informat, nego conſequentiam. Argumētum Adverſariorum laborat in ſuppoſito: ſupponit enim, quòd adæquata corporis ratio habeatur a forma, quod eſt omnino falſum, nam cum illud corporeum ſit, quod ex materia phyſica conſtat, ratio corporis primò, & principaliter deſumitur a materia; quæ propterea in tali conſtitutione, ſeu denominatione corporis dici poteſt forma denominans, quare licet ad conſtituendum corpus requiratur etiam forma, quia corpus eſt quid concretum, tamen forma requiritur ut completivum materiæ, ſeu ut id, quod trahendo ad ſe materiam, ſimul cum illa faciat totum, quod quia materiam includit, corporeum eſt; ſicuti ergò laboraret in ſuppoſito qui diceret, forma non eſt totum, non eſt compoſita &c. ergò nequit

dare eſſe toti, ſeu compoſito, ita procedit in caſu allato. Ad ſecundum dico, quòd cum forma cadaverica ſit imperfectiſſima, & proximé diſponens ad elementa, in quæ tandem cadaver reſolvitur, poteſt eadem ſpecie produci a diverſis cauſis corrumpentibus, nempe ab elementis prædominantibus, quia ut producatur talis forma, ſatis eſt ſi introducatur diſpoſitio, ſeu qualitas deſtructiva temperamenti organici, & quia hæc æquè introducitur ab igne, ac ab aqua, propterea ſive quis ex prędominio unius, ſive alterius moriatur, æquè diſponitur ad illam formam. Ad tertium dico, quòd ad hoc ut ſolvatur quomodo Corpus Chriſti fuerit idem in ſepulcro, ac erat vivum, ſatis eſt, ſi dicatur, fuiſſe idem identitate materiæ, & identitate ſuppoſiti, quatenus idem ſuppoſitum, ſeu perſona Verbi, quæ vivo erat unita, remanſit etiam unita mortuo; licet non fuerit idem identitate formæ ſubſtantialis.

Ob. IV. contra tertiam concluſionem. Diverſitas operationum viventis e. g. auditio, viſio, &c. nequit provenire niſi a principiis ſubſtantia-

libus

libus diverſis: ſed nequeunt hujuſmodi principia conſtitui niſi per diverſas formas ſubſtantiales; ergò dantur in diverſis partibus viventis diverſæ formæ ſubſtantiales partiales. Confirmatur, quia ubi videmus accidentia notabiliter diverſa, rectè arguimus dari diverſitatem ſubſtantiæ: ſed in oculo, aure, cerebro, corde, &c. videmus accidentia notabiliter diverſa; ergò datur in ipſis diverſitas ſubſtantiæ; ſed hæc nequit haberi, niſi ponantur ibi diverſæ formæ ſubſtantiales partiales; ergò, &c.

Reſp. Nego majorem, nam eadem omnino manus hominis ſcribit calamo, pingit pennicillo, ſecat gladio, quæ ſunt operationes diverſæ: idem intellectus affirmat, & negat, opinatur, & ſcit: ſic eadem omnino anima, utpote forma excellens, & non determinata ad unum, ſed valens juxta plures ſui perfectiones, plura objecta per diverſos modos attingere ſatis eſt ad varias operationes producendas, ut diverſis comprincipiis, ſeu inſtrumentis utatur. Ad confirmationem diſtinguo, ubi videmus accidentia diverſa in diverſis ſuppoſitis arguimus diverſitatem ſub-

ſtantiæ, concedo: in eodem ſuppoſito, nego: in eodem enim ſuppoſito cum partes non faciant unum per aggregationem, ſed unum per ſe, non poſſunt argui eſſe diverſæ ſubſtantiæ, quia ſunt diverſorum accidentium, ſed dicendum eſt, quòd cum illud ſuppoſitum propter ſuam excellentiam ponat diverſas operationes, requirit propterea diverſas diſpoſitiones, & inſtrumenta.

QVÆSTIO V.

Vtrum omnes animæ ſint indiviſibiles.

VT certa ab incertis ſeparemus, ſciendum eſt, convenire modò Philoſophos omnes, animam rationalem eſſe indiviſibilem, quamvis Cleantes, & Chryſippus olim ſentirent oppoſitum. Conveniunt pariter in aſſerendo animas purè vegetativas, quales reperiuntur in herbis, plantis, & ſimilibus, eſſe diviſibiles, cum pateat experientia, vivere ramos arborum, & augeri, etiam ſeparatos ab arboribus, idemque valet de cæteris vegetabilibus. De brutis ergò ſupereſt difficultas, & quia hæc ſunt in duplici claſſe, perfecta ſcilicet

cet, ut canes, leones, equi, &c. & imperfecta, ut ſerpentes, vermes, & ſimilia, quæ dicuntur inſecta, propterea Thomiſtæ dicunt, animas inſectorum eſſe diviſibiles in partes non actuales, ſed potentiales; animas verò perfectorum eſſe indiviſibiles.

Dico omnes animæ brutorum, etiam perfectorum ſunt diviſibiles.

Prob. Omnis anima ſenſitiva brutorum educitur de potentia materiæ, ipſique commenſuratur; ergò eſt diviſibilis. Major eſt certa, nam cum operari ſequatur ad eſſe, qualis eſt operatio tale eſt eſſe: ſed operatio animæ brutorum eſt omnino materialis, & pendens a materia; ergò, & eſſe animæ brutorum eſt omnino materiale, ac pendens a materia. Conſequentia probatur, quia quod commenſuratur materiæ, participat de diviſibilitate, quæ competit materiæ, alioquin non commenſuraretur; ergò anima ſenſitiva brutorum participat de diviſibilitate, ac proinde eſt diviſibilis. Confirmatur, quia nullum eſt poſitivum fundamentum dicendi animas brutorum eſſe indiviſibiles; ergò non ſunt indiviſibiles. Antecedens patebit ex objectionum ſolutione.

Ob. I.

Ob. I. Si anima brutorum eſſet diviſibilis, & conſtaret partibus, non poſſet explicari, an tales partes eſſent homogeneæ, an heterogeneæ; ergò non eſt diviſibilis in partes. Antecedens probatur, nam nequit dici eſſe homogeneas, quia pars animæ bruti, quæ eſt in capite phantaſiatur, quæ verò eſt in pede non phantaſiatur; ergò ſunt diſſimiles, & heterogeneæ: neque dici poteſt eſſe heterogeneas, nam, ut ſuperiori quęſtione dictum eſt de anima præſertim rationali, ſufficit idem principium ſubſtantiale cum diverſis accidentibus in diverſis partibus corporis ad diverſas functiones exercendas; ergò una, & eadem anima, licèt conſtans partibus homogeneis, poterit cum ſola diverſitate accidentium operari diverſimode in diverſis partibus ſubjecti, quod informat; ergò nequit dici partes animæ eſſe heterogeneas.

Reſp. partes animæ brutorum eſſe homogeneas, cum nulla urgeat neceſſitas ponendi in ipſis heterogeneitatem; quare ſi pars illa animæ, quæ eſt in pede poneretur in oculo, æquè conſtitueret cum ipſo principium

pium videndi, quod conſtituit de facto alia pars, & ſic de cæteris: non phantaſiatur autem pars animæ, quæ eſt in pede, quia pes non eſt organum proportionatum ad phantaſiandum, cæterum ſi applicetur organo phantaſiandi, phantaſiabitur.

Inſtabis. Quidquid recipitur per modum recipientis recipitur: ſed quando brutum phantaſiatur, objectum recipitur indiviſibiliter in ejus phantaſia; ergò phantaſia bruti eſt indiviſibilis. Min. probatur, nam dum lupus imaginatur ovem, non eſt intelligibile, quòd ovis imaginata ſit quoad caput in una parte, quoad pectus in alia parte potentiæ imaginativæ lupi, cum hoc neque admittatur in oculo, in quo ita eſt totum objectum, ut non diſtribuatur ſecundùm plures ſui partes, in plures partes oculi; ſed totum, & ſingulæ ſui partes ſimul ab oculo attingantur.

Reſp. Si quid probaret argumentum, probaret etiam, quòd organum corporeum eſſet indiviſibile, nam intra organum, v. g. oculum canis non ponitur lepus, ita ut in alia parte ſit caput, in alia pes; & tamen

eſt

eſt evidens organum corporeum eſſe diviſibile. Reſp. ergò quòd dum lupus imaginatur ovem, hæc eſt in anima lupi non ſecundum ſe, ſed per ſpeciem ſui: ſpecies autem congruit potentiæ, in qua recipitur; cum ergò tam phantaſia bruti, quam hominis, ſit materialis, etiam ſpecies materialis eſt, & conſequenter diviſibilis. Recipitur autem indiviſibiliter in organo animato, ut animatum eſt, nempe non ſecundùm unam ſui partem in materia, & ſecundùm aliam in anima, ſed tota ſpecies recipitur in totum v. g. oculum, phantaſiam, &c. & ſicut Thomiſtæ dicunt accidentia v. g. albedinem recipi non partim in materia, partim in forma pomi, ſed indiviſibiliter in toto pomo, & nihilominus albedo, & alia ſimilia accidentia indiviſibilia non ſunt, ita licèt ſpecies recipiatur indiviſibiliter in totum organum animatum, non propterea dicenda eſt indiviſibilis.

QVÆ.

QVÆSTIO VI.

Vtrum ſanguis, & aliæ partes fluidæ ſint animatæ.

PArtium viventis naturalis aliæ ſunt eſſentiales, aliæ integrales. Dicuntur eſſentiales materia, & forma, quia his permanentibus, licèt deficiant cæteræ; ſalvatur & permanet eſſentia viventis naturalis. Integrales dicuntur, quæ ad integrandum, & perficiendum ipſum vivens ſpectant, ita ut ipſis reciſis remaneat vivens in ſuo eſſe, ſed mutilatum e. g. pes, manus, &c. Ex partibus viventis naturalis aliæ ſunt fluidæ, ut ſanguis, pituita, & bilis; aliæ ſolidæ, ut caro, oſſa, nervi, &c. Prædictarum partium aliquæ pertinent ad conſtitutionem viventis, ſuntque ipſi neceſſariæ, ut oſſa, carnes, &c. aliæ non pertinent ad conſtitutionem, ſed tamen neceſſariæ ſunt, ut reliquæ totum compoſitum conſtituant, ut ſanguis, & reliqui humores, quibus deficientibus animal perit: aliæ neque conſtituunt, neque neceſſariæ ſunt, ſed ad commodum, & ornatum viventis pertinent, ut pili, capilli, ungues, &c.

Di-

Dico ſanguinem, & alias partes fluidas corporis non eſſe animatas.

Prob. quia anima eſt actus ſubjecti organici: ſed ſanguis, & reliquæ partes fluidæ non ſunt organicæ; ergò non actuantur ab anima. Minor probatur, quia unumquodque conſtituitur, & eſt organicum per heterogeneitatem: ſed nec ſanguis, nec reliquæ partes fluidæ habent heterogeneitatem, ſed; ſunt homogeneæ, ut patet ad ſenſum; ergò non ſunt organicæ. Confirmatur 1. quia ſanguis, & aliæ partes fluidæ non habent propriam, & determinatam figuram, ſed figurantur figura venarum, quibus continentur, eo modo, quo figuratur aqua figura vaſis, quo includitur, nec partes ſanguinis, & aliorum humorum habent certum inter ſe ordinem, cum ſint invicem confundibiles, imo ſemper confundantur: ſed hæc omnia repugnant organizationi, cum hæc requirat determinatam figuram, & ordinem partium cum heterogeneitate; ergò, &c. Confirmatur 2. quia vivere aliquid colligitur ex operatione vitali, ſed nulla in ſanguine, & aliis fluidis apparet operatio vitalis, cum nec

ſen-

ſentiant, nec nutriantur ab intrinſeco, ſed creſcant per additionem partis ad partem, ut creſcit aqua in vaſe; ut patebit ex infra dicendis de formatione ſanguinis, & reliquorum humorum; ergò, &c. Confirmatur denique, quia, ut cum Ariſtotele docent communiter Medici, ſanguis in animalibus eſt proximum alimentum; ergò non eſt vivens. Conſequentia patet, nam alimentum ex natura ſua debet converti in ſubſtantiam nutriti, ſcilicet animalis: ſed ſi ſanguis eſſet animatus, jam ex natura ſua non converteretur in ſubſtantiam animalis, ſed eſſet talis ſubſtantiæ per ſe; ergò, &c.

Ob. I. cum Toleto, Arriaga, Hurtado, & aliis. Sanguis movetur in omnem partem, ſed moveri eſt proprium viventis; ergò ſanguis vivit. Confirmatur quia ſanguis eſt pars principalior in vivente, quàm ſint pili, capilli, & ſimiles: ſed hæ ſunt animatæ; ergò multo magis ſanguis.

Reſp. ſanguinem moveri in omnem partem a principio extrinſeco, ſcilicet a partibus animatis impellentibus ipſum per venas in omnem corporis partem, non verò a principio

pio

pio intrinſeco, ut requiritur ad hoc, ut aliquid ſit animatum. Ad confirmationem, dico ſanguinem eſſe partem principaliorem ordine neceſſitatis, non autem ordine organizationis, quàm pili, capilli, &c. ad hoc autem ut quid probetur animatum, non debet attendi neceſſitas ipſius, ſed organizatio, anima enim non definitur actus partium neceſſariarum, ſed ſubjecti, & partium organicarum, ideoque cum non reperiatur in ſanguine organizatio, quæ reperitur in pilis, capillis, & ſimilibus, licet ſanguis ſit magis neceſſarius, non bene concluditur eſſe animatus.

Ob. II. Verbum Divinum aſſumpſit ſanguinem, & alios humores, ergò ſunt animati. Conſequentia probatur, quia ſi non eſſent animati, aſſumpſiſſet cum natura animata etiam naturam inanimatam, quod videtur abſurdum. Confirmatur quia ſcriptura Levitici 17. dicit; *anima carnis eſt in ſanguine;* & Ariſt. 2. de hiſt. animal. c. 19. ait; *quandiù vita ſervatur, ſanguis unus animatur, & fervet.* & 2. de part. animal. c. 2. ait; *eſt roboris efficacior ſanguis, qui craſſior, &*

cali-

calidior eſt; vim autem ſentiendi, intelligendique obtinet pleniorem, qui tenuior, atque frigidior eſt.

Reſp. Verbum Divinum aſſumpſiſſe naturam humanam omnino integram non modò integritate primaria, ſed etiam ſecundaria; & quia ad ſecundariam naturæ integritatem pertinet ſanguis, propterea etiam ſanguinem, ut partem ſecundariam aſſumpſit; quare in toto rigore loquendi nequit dici Verbum aſſumpſiſſe naturam inanimatam, ſed partem inanimatam naturæ animatæ. Ad locum ſcripturæ diſtinguo: anima carnis eſt in ſanguine inſtrumentaliter, & alimentativè concedo, principaliter, & informativè nego: dicitur eſſe in ſanguine, quatenus hic eſt proximum, & neceſſarium alimentum carnis, ſine quo carnem, ſeu corpus anima non informaret, non autem eſt in ſanguine, ipſum actuando; idem ſentit loco citato Philoſophus.

DISPVTATIO II.

De anima vegetativa.

ANima vegetativa principium eſt nutritionis, augumentationis, & generationis. Hæc eſt animarum infima, treſque habet præcipuas facultates, ſeu potentias operationibus illis correſpondentes, ſcilicet potentiam nutritivam, augumentativam, & generativam. Per primam conſervat corpus vivens, per ſecundam auget ipſius molem ſecundùm omnem dimenſionem, per tertiam propagat ipſum, producendo individua ſibi ſimilia.

QVÆSTIO I.

Quid ſit, & quomodo fiat nutritio.

DIco primò. Nutritio eſt reparatio partium deperditarum corporis viventis per introſuſceptionem alimenti. Ad intelligendam hujuſmodi definitionem advertite primò, quòd corpus vivens ab initio ſuæ animationis eſt valde puſillum, nec alio pacto poſſe perfectiorem obtinere ſta-

ſtatùm, quàm beneficio nutritionis? Rurſus advertendum eſt, quòd cum mixta conſtent ex elementis, quodlibet corpus vivens eſt ſimul calidum, & frigidum, humidum, & ſiccum, ita tamen ut calidum, & humidum prævaleant. Humidi duplex eſt genus in corpore animato: aliud eſt humidum fluens; ut ſanguis, & humores pituitoſi, aliique, quibus corpora gravari ſolent; aliud eſt humidum ſolidum, & conſiſtens, quod quia congenitum eſt viventi, appellatur humidum radicale, & ex hoc omnia membra conſtant, & partes illæ, ac corpora, quæ tali humido abundant, molliora ſunt, ut carnes. Ex partibus porro corporis viventis aliæ ſunt magis, aliæ minus calidæ, daturque inter qualitates, quæ diverſarum partium temperamenta conſtituunt, quædam perpetua actio, & reactio, quæ intercedit præcipuè inter calorem nativum, & humidum radicale; hoc enim a calore nativo adjunctis etiam cauſis externis ita attenuatur, & reſolvitur paulàtim, ut brevi interiret vivens, niſi per nutritionem repararetur continuò jactura humidi. His poſitis, nutritionem

nem in homine explicabimus, ut ex eo ad ipſam in cæteris viventibus intelligendam fiat tranſitus.

Ad cibum tranſmutandum in ſubſtantiam viventis natura os conſtruxit 30. vel 32. dentibus præditum, quorum quatuor anteriores tam in ſuperiori, quám in inferiori maxilla poſiti, acuti, & lati, ad incidendum inſerviunt, & inciſores vocantur. Qui proximè ſequuntur acuti, & fortes ſunt ad perforandum dati, & canini appellantur: reliqui ad comminuendum facti, molares dicuntur. Cibus igitur in ore præparatus per officium dentium, demittitur per æſophagum ad ventriculum, qui ipſum excipiens, ſtatim arctè ad profundam ſui partem compellit, ne fluctuet. Ibi vi facultatis concoctivæ concoquitur cibus, tranſmutaturque in liquidum quendam ſuccum, ſeu cremorem, qui vocatur chylus, qui retinet colorem ciborum, ex quibus confectus eſt. Vbi chylus ſic eſt perfectus, defluit in inteſtina motu periſtaltico, nempe undulatim, inſtar lumbrici ſe moventis: hæc contrahuntur ſenſim per partes, ſuperne, deorſim, & per varios anfractus, ac

mean-

meandros, chylum cum excrementis ad inferiora promovent. Dum chylus ſic ad inferiora traducitur, partium ipſius puriſſimarum aliquæ exſuguntur a venis meſenterii, quæ tanquam hirudines apertis orificiis, ad inteſtina illas excipiunt: aliquæ verò per venas lacteas nuper obſervatas ab Aſellio numeroſiſſimas, & ad jecur omnes prædictæ chyli partes traducuntur, partes vero ſicciores, & fæculentæ per longos ilei anfractus defluunt, donec aperta inſigni valvula in cæcum inteſtinum, & ex eo in colon detrudantur. In hepate conformatur ſanguis, qui repurgatur ab atra bile, quæ per venas ſplenicas ad lienen defertur. Ex hepate tranſit ſanguis ad cor, & inde per venas ad univerſas corporis partes tranſmittitur, ubi magis, ac magis concoctus ad inſtar roris ſubit poros partium nutriendarum, in quibus effectus craſſior vocatur cambium; deinde magis adhæreſcens prędictis partibus, dicitur gluten; denique in ſubſtantiam viventis tranſit. Ex his habetis, quòd in negotio nutritionis triplex fit ſubſtantialis mutatio, ſcilicet, cibi in chylum, chy-

li in

li in chymum, chymi in ſubſtantiam viventis.

Dices gratis ſupponi, quòd hepar ſit officina ſanguinis.

Reſp. Multa ſunt, quæ manifeſtè probant in hepate formari ſanguinem. Primò quia nullum ſpeciale munus aſſignari poſſet viſceri tam inſigni, quale eſt hepar, niſi aſſignaretur ipſi hematoſis: ſed dici nequit Naturam fruſtra produxiſſe partem tam inſignem; ergò ipſi aſſignanda eſt hematoſis. Secundò, quia certum eſt per venas meſenterii tam rubentes, quam lacteas deferri ad jecur materiam ſanguinis; ergò ſignum eſt in ipſo formari ſanguinem. Tertiò quia in eo viſcere veriſimilius eſt fieri hematoſim, quo bene ſe habente, bene fit hematoſis, quo læſo, læditur hematoſis: ſed hoc accidit bene ſe habente, aut læſo hepate; ergò, &c. minor eſt manifeſta, quia experientia conſtat, quòd læſo hepate generatur hydrops, & curata hepatis intemperie fit ſemper melior hematoſis. Denique ibi eſt veriſimilius generari ſanguinem, ubi reliqui humores generantur, cum omnes fiant ex eodem chylo; ſed atra, &

flava

flava bilis, & pituita, generantur in hepate, cum alibi non appareant; ergò ibidem veriſimilius eſt generari ſanguinem.

Hic obiter notandum eſt, quòd ſanguis in hepate formatus antequam ſua in vaſa toti corpori diſpenſandus profundatur, a prædictis humoribus repurgatur, nam atra bilis ad lienen tranſmittitur, flava bilis in ciſtim felleam detruditur, pituita verò non habet determinatum receptaculum, ſed ſimul cum ſanguine fluit in corpus univerſum, tanquam vehiculum ipſius ſanguinis, & temperans ejus calorem, donec in renum ſecernitur, & ſimul cum ſero uniuſcujuſque humoris proprio, in lotium erumpit; hinc fit, quòd ex urina dignoſcantur qualitates morborum, quia hæc jecoris, & humorum ſtatum indicat.

Ex dictis ſatis liquere videtur venas omnes primam ſui originem ducere ab hepate, cum inde naſci debeant venæ, ubi eſt principium ſanguinis formativum. Et licèt truncus venæ cavæ ab oſſe ſacro ad jugulum uſque continuus ſit totus ſeperatus ab hepate, & adhæreat cor-

di, videaturque propterea habere principium in corde, tamen obſervandum eſt, quòd ex convexa parte jecinoris prodit ramus in ipſo hepate radicatus, qui ſupra inſeritur trunco venæ cavæ, qui ramus eſt veluti radix venæ cavæ, ac proinde hæc vena debet beneficio talis rami ſuam originem hepati. Fuit autem neceſſarium, ut truncus ille eſſet duplo major tali ramo, quia eſt vas ad quod undequaque confluit ſanguis, qui ad cor devehitur.

QVÆSTIO II.

De augumentatione, & generatione.

AVgumentatio vitalis eſt acquiſitio majoris materiæ quantæ ut quanta eſt, facta per introſuſceptionem alimenti. Duo igitur conſideranda ſunt in augumentatione vitali. Primum eſt, quòd fit per introſuceptionem alimenti, convertendo ipſum in ſubſtantiam viventis. Secundum eſt, quòd per quandam veluti juſtitiam diſtributivam, alimentum proportionaliter, & ordinatiſſimè ad omnes corporis partes diſpenſatur, ut omnes proportione in-

vicem

vicem ſervata, ſimul augeantur. Per hæc duo differt augumentatio vitalis a non vitali, nam e. g. dum augetur aqua in vaſe, aut ignis ex lignis non fit talis augumentatio per introſuſceptionem alimenti, ſed per juxtapoſitionem partium, nec ſervatur proportio, & ordo in augumentatione, ſed non viventia plus in una, quám in alia ſui parte augentur, prout plus, vel minùs materiæ juxta unam, quàm aliam partem apponitur.

Ex dictis ſatis conſtat, quòd tam ad vitalem nutritionem, quàm ad augumentationem faciendam, neceſsè omnino eſt corpora viventia eſſe organica, ſcilicet inſtructa partibus heterogeneis, quibus tanquam inſtrumentis, attrahant, dividant, concoquant, diſpenſent alimentum per totum corpus, ac ſingulas ejus partes ſervata ſemper earundem partium figura, & proportione. In iis econtra, quæ non nutriuntur, nec augentur vitaliter, ſed per meram juxtapoſitionem partis ad partem, cum nihil ex predictis fieri debeat, non ſunt neceſſaria organa.

Sicuti viventium proprium eſt per virtutem nutritivam, & augumentativam, conſervare, & augere individuum, ita ipſis convenit per virtutem generativam propagare, & quodammodo æternare ſui ſpeciem, formando ſemen, quo individuum ſimile in ſpecie producant.

Definitur communiter generatio vitalis ſic: *Eſt origo viventis a vivente, ut a principio conjuncto in ſimilitudinem naturæ*. Dicitur *origo viventis a vivente*, quia cum generare ſit vitaliter operari, nec poſſit haberi vitalis operatio, niſi a vivente, propterea nequit haberi generatio, niſi a vivente. Dicitur *ut a principio conjuncto*, quia in genito eſt aliquid ſubſtantiæ generantis, ideoque generans eſt cum genito conjunctum, ſic cum planta gignitur de ſurculo alterius plantæ, aut animal de ſemine alterius animalis, in planta genita eſt ſurculus ille, qui erat pars plantæ generantis, in animali genito eſt pars illa ſeminalis, quæ erat pars animalis generantis. Dicitur *in ſimilitudinem naturæ*, quia, cum generatio ex vi, & natura propria tendat ad propagandum, & quodam modo æternandum ipſum

ge-

generans, ex modo ſuo proprio, poſcit producere individuum, quod ſit veluti alterum generans, atque adeo, quod ex vi formalis modi generationis dicat naturalem, ſeu ſpecificam ſimilitudinem cum ipſo generante. Et hoc adeo verum eſt, ut etiam in genito appareant ut plurimùm generantis lineamenta, inclinationes, imo & corporales defectus, & morbi, quare genitus ex podagrico podagra ſolet torqueri, & ſic de aliis morbis obſervatur frequentiſſimè ſubiici filios iiſdem, quibus ſubiiciebantur parentes.

DISPVTATIO III.

De anima ſenſitiva.

ANima ſenſitiva eſt actus corporis naturalis organici potentia vitam ſenſitivam habentis. Tres ejus præcipuæ facultates, ſeu virtutes numerantur, ſcilicet *cognoſcitiva* rerum materialium, *appetitiva* ſenſibilium ex prævia cognitione, *loco motiva* motu progreſſionis, vel ſaltem conſtrictionis, aut dilatationis in eodem loco. Tenet anima ſenſitiva me-

dium locum inter vegetativam, & rationalem: ejus potentiæ ſunt ſenſus, ac propterea de his, & aliis ad ipſos pertinentibus agendum eſt.

QVÆSTIO I.
Quot, & qui ſint ſenſus.

DIco I. Senſus externi ſunt quinque, ſcilicet viſus, auditus, guſtus, odoratus, & tactus.

Prob. quia ſenſus nihil aliud eſt, quàm propria animæ ſenſitivæ facultas, per quam objecta materialia materiali modo cognoſcuntur; ergò tot ſunt ſenſus externi, quot ſunt objecta materialia propria, quæ peculiari modo materiali cognoſcuntur: ſed hæc ſunt tantùm quinque, nempe viſibile, audibile, odorabile, guſtabile, & tactile, nec plura, vel pauciora reperiri poſſunt; ergò quinque tantum ſunt ſenſus externi.

Vt totum hoc probè intelligatur ſciendum eſt, quòd ſenſibile dividitur in ſenſibile per ſe, & in ſenſibile per accidens: ſenſibile per ſe eſt, quod per propriam ſpeciem, vel ſaltem per ſpeciem a ſe modificatam, movet

vet ſenſum e. g. albedo, & alii colores movent oculum per proprias ſpecies, quibus adjutus oculus, immediatè attingit illos. Senſibile per accidens eſt, quod movet ſenſum non per proprias ſpecies, ſed tantùm per ſpecies alicujus accidentis ſibi inhærentis, ſic e. g. ſubſtantia hominis non videtur per ſe, ſed ratione coloris ſibi inhærentis. Rurſus ſenſibile per ſe dividitur in proprium, & commune. Proprium eſt quod unum tantùm movet ſenſum, & ſic ab uno tantùm ſenſu attingitur e. g. color attingitur a ſola potentia viſiva, ſonus a ſola auditiva. Commune eſt, quod a pluribus attingitur ſenſibus, e. g. figura percipitur a viſu, & tactu; ejuſdemque rationis ſunt motus, quies, numerus, magnitudo, & ſimilia. Iam ad intelligentiam rationis allatæ advertatur, quòd numerus ſenſuum externorum non deſumitur a ſenſibili per accidens, ſed a ſenſibili proprio, & ideo dictum eſt *objecta materialia propria*.

Senſus prædicti in omnibus animalibus ſunt ejuſdem perfectionis ſubſtantialis, & ſolùm accidentaliter differunt ratione inæqualitatis, quàm

habent in temperamento primarum qualitatum, quare vulgò circumfertur carmen illud.

Nos aper auditu, lynx viſu, ſimia guſtu,
Vultur odoratu, præcedit aranea tactu.

Animalia, quæ omnibus his ſenſibus prædita ſunt, perfecta vocantur; quæ verò aliquo ex illis carent, aut per ſe imperfectum habent uſum eorum, dicuntur imperfecta.

Dico II Senſus interni ſunt quatuor, nempe ſenſus communis, phantaſia, ſive imaginativa, æſtimativa, & memoria. Senſus communis eſt facultas percipiens objecta omnium ſenſuum externorum, & ea invicem comparando, diſcernens unum ab altero. Phantaſia eſt facultas componens, & dividens objecta a ſenſu communi, & formans ex eis varia phantaſmata. Æſtimativa eſt facultas, quæ a phantaſmatibus ſibi objectis progreditur per quandam diſcurſus ſimilitudinem ad percipiendum aliquid ab ipſis diſtinctum, ſic videmus ſæpe bruta per nutus percipere aliquid diſtinctum a nutibus, quare per aliquos nutus alliciuntur, per alios fugantur, quod eſt indicium, apparere illis, non

mo-


modo illos nutus, ſed malum, aut bonum a nutibus diſtinctum. Memoria eſt facultas, objecta præterita recolens; ſic videmus bruta determinari ad operationes præſentes ab objectis præteritis.

QVÆSTIO II.
De ſenſu viſus.

De ſenſibus externis in particulari acturus a ſenſu viſus initium ducam, quia hic ordine dignitatis reliquos omnes præcedit, cum verſetur circa objectum, quod eſt præſtantiſſimum, & ipſum attingat modo minùs materiali, quàm cæteri ſenſus attingunt propria objecta; unde fit, ut actio videndi fiat in inſtanti ad quamlibet diſtantiam. Inſuper viſus præ cæteris ſenſibus imaginativam, & appetitum maximè movet, unde res viſas frequentiùs cogitamus, & appetimus, confertque propterea hic ſenſus maximè ad perfectionem cognoſcendi, vocaturque ſenſus inventionis.

Organum viſus eſt oculus, cujus conſtructionem noſſe, quia plurimùm prodeſt ad ea intelligenda, quæ ad

viſionem attinent, propterea hic eam breviter affero. Oculi originem ducunt a cerebro per nervos opticos. Hi nervi ab interiori cerebri parte producti poſt breve intervallum conjunguntur, & deinde rurſus ab invicem diſtare incipiunt, ut patet in ſubjecta figura.




Vterque nervus veſtitur duplici tunica, quarum altera, quæ interior eſt, ducit originem ab ea cerebri membrana, quæ cerebrum immediatè tegit, quæ dicitur *pia mater*; altera originem ducit ab exteriori cerebri membrana, quæ *dura mater* appellatur. Ex ipſa verò nervi optici ſubſtantia, quaſi in varia filamenta dilatata, formatur altera tunica, quæ quia in modum retis contexta eſt,

reti-

retina nuncupatur. Porro ex pia matre oritur tunica, quæ quia uvæ nigræ colorem imitatur, *uvea* dicitur: hæc ita oculum involvit, ut tamen habeat in parte anteriori foramen directè reſpondens humori cryſtallino, per quod foramen tranſeunt ſpecies ab objectis immiſſæ, idſtudque foramen cum humore cryſtallino vocatur pupilla. Ex dura matre oritur alia tunica, quæ diaphana eſt, & dura, proptereaque vocatur *cornea*, totumque ambit oculum tam ab anteriori, quàm a poſteriori parte: quatenus tamen poſteriorem oculi partem circumvolvit dicitur ab aliquibus *ſclerotica*, & *conſolidativa*. Huic tunicæ ſuperinducitur alia totum fermè oculum ambiens, quæ appellatur *adnata*, quæ ortum ducit a pericranio: hæc conjungit totum corpus oculi cum cranio intra propriam cavitatem, & propter hoc vocatur *conjunctiva*: quatenus autem ad anteriorem oculi partem protenditur, & albumen quoddam præſefert dicitur *album oculi*. In hac tunica eſt foramen, per quod pupilla, & pars tunicæ uveæ in modum circuli retegitur, qui circulus cum varios oſten-

dat colores, nominatur *iris*; & a colore prædominante in iride dicitur animal habere oculos e. g. nigros, cæſios, &c. Sunt in oculis tres humores, quorum primus, & principalis dicitur cryſtallinus, qui cingitur tela tenuiſſima inſtar telæ araneæ, ac propterea vocatur *arachnoides*. Secundus humor eſt in poſteriore oculi parte ſimilis vitro fuſo, ac propterea *vitreus* nuncupatur. Hunc cingit tela tenuis, quæ dicitur *hyaloides*; huic humori cryſtallinus media fere ſui parte immergitur. Tertius humor eſt in anteriore parte oculi ſub tunica cornea, qui *aqueus* appellatur, & quia refert albuminis ovi colorem, *albugineus* dicitur. Humor cryſtallinus utrinque ſubſtinetur, & humectatur aliis duobus aſſignatis humoribus, ne ab interiore calore nimis lædatur. Denique cryſtallinus utrinque per latera appenditur tunicæ uveæ per quaſdam fibras, quæ vocantur *proceſſus ciliares*, quibus vel dilatatur, vel conſtringitur, ut poſcit objecti diſtantia. Totum aperit ſequens figura.

Septem



Septem muſculos unicuique oculorum aſſignavit natura, quorum duo movent oculum ſurſum, & deorſum:

ſum: duo dexſtrorſum, & ſiniſtrorſum: duo circumferunt: & unus ipſum ſuſtinet ad figendum obtutum.

Eſt autem muſculus, pars diſſimilaris inſtrumentaria, qua motus ſpontaneus animalis perficitur. Dicitur *pars diſſimilaris*, quia eſt compoſitus ex pluribus nervorum, & filamentorum fibris, quæ in unum extremum coeunt, circumjecta multa carne cum ſuis pariter fibris. Diſtinguunt Anatomici tres in muſcolo partes ſecundùm ejus longitudinem, ſcilicet caput, ventrem, & caudam; caput eſt omnino nervoſum, venter carnem multam continet, cauda verò deſinit in *apneuroſim*, italicè *cordone*, & hæc cauda inſeritur ad partem movendam; quidam tamen muſculi, ut linguæ, & labiorum, non habent apneuroſim, ſed illi tantùm, qui inſeruntur in cartilaginem oſſium, ad hæc movenda. Dicitur *inſtrumentaria* ad perficiendum motum ſpontaneum, quia in animali datur duplex motus, alter ſpontaneus, & arbitrarius, qualis eſt, qui efficitur ab animali, dum movet caput, brachium, &c. alter verò non arbitrarius,

rius, ſed naturalis, qualis eſt motus cordis. Muſculus inſervit ad motum arbitrarium, non verò ad naturalem perficiendum. Numerantur muſculi in corpore humano 431. quorum alii dicuntur *congeneres*, & *fraterni*, quia concordant ad eandem actionem; alii verò *antagoniſtæ*, qui tendunt ad motus contrarios. Dictus eſt autem muſculus a ſimilitudine, quam habet muris excoriati. His poſitis

Dico I. Viſionem fieri in tunica retina.

Prob. quia ibi veriſimilius eſt fieri viſionem, ubi ſiſtuntur ſpecies objectorum, & retinent inter ſe diſtinctionem, & ordinem: ſed certum eſt hoc totum fieri in tunica retina, & non alibi; ergò veriſimilius eſt viſionem fieri in retina. Minor eſt manifeſta, nam humor cryſtallinus, cum ſit diaphanus, non eſt aptus ad ſpecies terminandas, & hæ tranſeunt per ipſum confuſæ, eo prorſus modo, quo ſi intra cubiculum tranſmittantur ſpecies per foramen, lente vitrea inſtructum, confunduntur, nec terminantur in foramine, aut lente vitrea ſpecies, ſed in charta, vel

alio

alio quopiam corpore opaco directè oppoſito foramini, & diſtinctæ, ac ordinatæ apparent; ergò in humore cryſtallino non eſt aptitudo ad viſionem perficiendam. Neque etiam poteſt dici, ut aliqui putant, viſionem fieri in conjunctione nervorum opticorum. Primò quia ſpecies nequeunt directè ferri ad talem partem; ſecundò quia, ut obſervavit Veſalius, aliqui reperiuntur, qui habent nervos opticos omnino ad invicem ſejunctos, & tamen nullam in videndo difficultatem patiuntur, quod certè non accideret, ſi in conjunctione opticorum fieret viſio; ergò remanet quòd fiat in tunica retina, quæ ut procedens ab ipſa cerebri ſubſtantia, recipit majorem copiam ſpirituum animalium, qui ad viſionem ſunt neceſſarii.

Dico II. Objectum viſus primarium eſt lumen, ſecundarium verò eſt color.

Prob. prima pars, quia illud eſt primarium alicujus potentiæ objectum, quod primò, & per ſe attingitur a potentia, illud verò ſecundarium, quod attingitur beneficio alterius: ſed lumen primò, & per ſe

attin-

attingitur a potentia viſiva, color verò attingitur ab eadem beneficio luminis; ergò lumen eſt primarium objectum, color verò ſecundarium potentiæ viſivæ. Minor patet experientia, nam color objecti non tranſmittit ſui ſpecies ad oculum, niſi medium ſit illuminatum; ergò, &c.

Ex his facilè intelligitur quid ſenſerit Ariſt. cum dixit colorem eſſe id, quod movet actu diaphanum, nempe eſſe qualitatem diffuſivam ſui per diaphanum, ubi jam beneficio luminis redditum eſt actu diaphanum. Similiter quid intelligat, quando 2. de An. c. 7. inquit, quòd lumen eſt actus perſpicui interminati, quatenus perſpicuum eſt, nempe actus medii, quod per ipſum lumen redditur formaliter, & actu perſpicuum, ſeu tranſparens. Vbi notate quòd licèt lumen recipiatur etiam in ſuperficie corporis opaci, non facit de hac receptione mentionem Philoſophus, quia lumen differt ab aliis accidentibus in eo, quòd ſit actus diaphani, ut eſt actu diaphanum, non verò ut recipitur in corpore opaco, hoc enim etiam aliis accidentibus convenit.

Adver-

Advertite denique quòd diahpaneitas, & opacitas non ſunt idem, cum raritate, & denſitate, ſed eſſe qualitates ab illis diverſas: videmus enim cryſtallum habere diaphaneitatem, & tamen eſſe maximè denſum.

QVÆSTIO III.

De ſenſu auditus.

AVditus eſt potentia perceptiva ſoni. Organum auditus eſt auris, quæ duabus conſtat partibus, alia externa, quæ dicitur *auricula*, alia interna, quæ in oſſe petroſo deliteſcit. Conſtat hæc quatuor meatibus, quorum primus eſt ille, qui ſemper patens flexuoſus eſt, ne aer externus confertim irruens damnum, inferat. Secundus meatus eſt magis interior quàm primus, diciturque *cochlea*, vel *pelvis*, contineturque in ipſo aer, quem dicunt innatum, quia a nativitate ibi eſt incluſus. Tertius meatus dicitur *labyrinthus*, quia pluribus quaſi cuniculis invicem implicatis conſtat. Quartus meatus dicitur *foramen cæcum*. Ad finem primi meatus eſt membrana quædam extenſa, quæ vocatur *tympanum*: hæc firmatur

matur tribus oſſiculis inter ſe fortiter colligatis, quorum primum dicitur *malleus*, ſecundum *incus*, tertium *ſtapes* tribus angulis præditum. Omnia hæc oſſa immobilia ſunt. Vltra tympanum adeſt alia membrana ſicciſſima, quæ conjungitur nervis auditoriis in intima parte auris. Prima auris cavitas ſubflava, & ſubamara illuvie obducitur, quæ a latinis *marmorata*, & *cerumen* appellatur. Conficitur hæc ex bilioſa exhalatione, quæ ex inferioribus corporis partibus tranſpirat ad cerebrum, quæ deinde partim per ſuturas cranii, partim per aures diffluit, & in his quidem condenſata ipſis adhæreſcit. Notant cum Hippocrate Medici, quòd ſi amaritudo hujus ſordis in dulcedinem tranſeat, mortem ominatur. Vtilitas hujus humoris eſt non modò beſtiolis, ſi quæ irrepſerint, aditum impedire, ſed calore ſuo, ac ſpecifica virtute reſolvere, & extenuare flatus intra concitatos, ne noceant auditui.

Auditio fit in membrana illa ultima, quæ nervis auditoriis copulatur; in ea enim terminantur ſpecies ſoni, & propter conjunctionem cum

præ-

prædictis nervis eſt aptior ad recipiendos ſpiritus neceſſarios ad auditionem faciendam.

Objectum proprium auditus eſſe ſonum dubitari non poteſt, cum nulla alia potentia externa, quàm auditus ipſum percipiat.

Sonus eſt qualitas orta ex ſubita corporis fluidi fractione, ut patet, cum ad invicem colliduntur duo corpora, quæ intermedium aerem frangunt. Dixi *ex ſubita* quia ſi lento motu conjungantur invicem duo corpora, non editur ſonus. Vt autem corpora ſonantia perfectiorem reddant ſonum debent eſſe dura, ſolida, & poroſa valde, ut intra poros recipiant aerem, qui ſimul frangatur in eorum colliſione, & ſimul junctis viribus cum aere externo ſonum edant majorem, hinc fit quòd lana, ſtuppa, ſpongia, &c. ſonum non edant, quia carent duritie, & non habent aptitudinem ad continendum aerem intra poros, ſed diffluit aer compreſſus, nec frangi commodè poteſt.

QVÆSTIO IV.
De ſenſu olfactus.

OLfactus eſt potentia odoris perceptiva. Ejus organum eſt naſus, qui hoc pacto conformatus eſt. Ad mediam frontis baſim eſt os quoddam præcipua ſui parte ita perforatum, ut inſtar cribri appareat; ac propterea *ethmoides*, ſcilicet cribroſum communiter nuncupatur. In parte interiori hujus oſſis, exſurgit intra cranium apophyſis, quæ a figura dicitur criſta galli: extrorſum verò prodit alia lamina oſſea, quæ dicitur *ſeptum narium*: cum hac lamina conjungitur *os vomer* compræhenſum in ſpatio mediante inter duas tabulas, palati ſcilicet, ac ſphenoidis. Ab oſſe vomere diſterminatur ſpatium illud in duas lacunas plenas oſſiculis ſpongioſis, quæ replentur carnibus pariter ſpongioſis, per quas repurgatur aer inſpiratus, ut ſalubrior ad pulmones, & ad cerebrum tranſmittatur, tum etiam ut ebibant pituitam fluentem a capite, ne perpetuò ſtillet mucus e naribus: his nimium tumefactis generatur

tur polipus, vel cum ulcere fætido, vel ſine ulcerè. Tabulæ cribroſæ, qua parte cerebrum reſpicit, incubant apophiſes, ſcilicet duo tuberculi ex cerebro producti, qui cum referant figuram papillæ mamillaris, dicuntur proceſſus mamillares. Externa naſi forma conſtituitur ex elatioribus variis cartilaginibus adnatis oſſeis laminis cum ſepto intermedio, quæ compræhendunt geminas illas cavitates, quæ dicuntur *nares*.

Fit olfactus in proceſſibus mamillaribus, & in carnibus, quibus repletæ ſunt cavitates oſſis ſpongioſi, nam obſervatur, quòd his partibus male affectis læditur olfactus, benè verò affectis optimè fieri.

Objectum hujus ſenſus eſt odor, quia a nullo alio ſenſuum externorū attingitur. Odor eſt qualitas ſecunda reſultans ex primis, prædominante ſicco, & calido. Præſupponit odor mixtionem ſicci, & humidi, ita ut alterutro deficiente nullus ſentiatur odor, ſic cineres ligni odoroſi nullum reddunt odorem defectu humidi nativi; & humores, qui carent ſpiritibus ſiccis, ut aqua, odore pariter carent. Mixtio ſicci, & humi-

di ad

di ad generationem odoris requiſita ſit beneficio caloris, quo ſiccum decoquitur in humido, quare aqua roſacea, thus, & alia hujuſmodi ad ignem applicata magis olent.

QVÆSTIO V.
De ſenſu guſtandi.

GVſtus eſt facultas vitalis, perceptiva ſaporis. Ejus organum eſt præcipuè lingua præſertim in anteriore ſui parte, ad ejus enim radices guſtus non eſt adeo exquiſitus, ſicut in cuſpide ipſius. In palato etiam aliqua vis guſtativa reſidet, cum experientia demonſtret eos, qui carent lingua, percipere in palato ſapores, ideoque nervi guſtatorii quibuſdam filamentis ſunt per palatum etiam protenſi.

Objectum proprium guſtus eſt ſapor, qui eſt qualitas ſecunda orta ex permixtione primarum, prædominante humido aqueo, ſicco terreo; hinc fit quòd ad hoc ut res ſint actu ſapidæ debent humore aliquo irrigari, propterea natura duas glandulas conſtituit ad linguæ radices, quæ ſalivam ſufficientem ſuppeditarent. Præ-

Præcipuæ ſaporum ſpecies ſunt dulcis, ut in melle, & ſaccharo; amarus, ut in abſynthio; pinguis, ut in lacte, oleo, butyro; ſalſus, ut in ſale, oriens ex immoderato calore; acer, ut in aceto, allio, & pipere; acerbus, ut in pomis immaturis; acidus, ut in oleis. Hic notate demum, quòd licèt ſal guſtum delectet, & nauſeam impediat, eſculentiſque aſperſus putrefactioni reſiſtat, noxius tamen eſt nutritioni, ideoque natura chylum format dulcem, reiiciens partes ſalſas per craſſiora excrementa, nec a vaſis meſeraicis exſugitur niſi pars dulcis, & ſi quid ſalſedinis irrepſerit, in urinas, ſudores, & bilem excrementoſam expellit.

QVÆSTIO VI.
De ſenſu tactus.

TActus eſt vitalis facultas, qua calidum, frigidum, ſiccum, humidum, & ex iis reſultantia ſentiuntur. Eſt hic ſenſus omnium neceſſariſſimus, & ideo potentia tangendi in omnes fere corporis partes diffuſa eſt, cum oſſa tantum, & parenchymata viſcerum tactu careant. In ner-

nervis, & membranis tactus eſt exquiſitiſſimus, & ideo ſi lædantur hæ partes, dolor fit acutiſſimus.

Objectum tactus primò, & per ſe ſunt quatuor primæ qualitates, ſcilicet calor, frigus, humiditas, & ſiccitas, iſtæ enim tantùm afficiunt primò, & per ſe ſenſum, reliqua verò tangibilia afficiunt ſenſum mediantibus iſtis. Advertite tamen quòd hæ qualitates non movent tactum, niſi ſecundùm exuperantias, nempe non percipiuntur, niſi ſuperent qualitates ipſius ſenſus e. g. ut calor percipiatur a mea manu, requiritur ut ſit intenſior calore ipſius manus, quia ſentire eſt quoddam pati: ſed niſi ſit intenſior calor tangibilis calore meæ manus, non poterit mea manus pati a tali calore, quia nemo patitur niſi a potentiori; ergò requiritur, ut calor tangibilis exuperet calorem meæ manus.

QVÆSTIO VII.

Vtrum ad ſenſationem faciendam requirantur ſpecies intentionales?

VT vitentur in hac re omnes æquivocationes, advertendum eſt, quòd licet terminus *intentio* accipiatur ſæpe, ut ſignificat actum voluntatis, in quo ſenſu dicimus intendi ab homine gloriam, ut finem per merita obtinendum: nihilominus accipitur etiam pro notione, ſeu cognitione, & in hoc ſenſu ſpecies, quæ ad cognoſcendum requiruntur, vocari ſolent intentionales.

Advertendum 2. eſt quòd cum potentia cognoſcitiva ſive ſit ſpiritualis, ut intellectus: ſive materialis, ut ſenſus, non ſit merè paſſiva, ſed etiam activa, intelligere enim, videre, audire, eſt agere: intellectio, viſio, auditio, &c. ſunt verè actiones: cum autem omnis actio ſit tendentia ad aliquem terminum producendum, potentia cognoſcitiva cognoſcendo producit aliquid: hoc a potentia cognoſcitiva productum, cum denominet ipſam formaliter cognoſcentem, debet eſſe aliqua forma deno-

denominans, ſicuti id, per quod aliquid denominatur calidum, debet eſſe forma caloris: talis terminus a potentia cognoſcitiva productus, vocatur in intellectu *conceptus*, *&* *verbum mentis*, in imaginatione dicitur *phantaſma*, reſpectu omnium potentiarum cognoſcitivarum dicitur *ſpecies expreſſa*. Hæc ſpecies expreſſa ſi talis ſit, ut in ipſa cognita cognoſcatur objectum, eo modo, quo in pictura cognita cognoſcitur e. g. Cæſar dicitur *ſpecies objectiva*, *&* *in qua*. Præter hanc ſpeciem expreſſam docent Peripatetici dari aliam ſpeciem, quæ ab objecto imprimitur potentiæ cognoſcitivæ, & ipſam aſſimilans objecto, reddit capacem ut eliciat actum cognitionis: hæc ſpecies eſt veluti ſemen objecti ad potentiam cognoſcitivam tranſmiſſum, ex quo ſemine, & potentia cognoſcitiva paritur cognitio; unde eſt ortum illud celebre axioma: *Ex objecto*, *&* *potentia paritur notitia*, *tanquam ex viro* *&* *fœmina*: hæc ſpecies igitur non cognita in ſe, juvat tamen potentiam cognoſcitivam ad cognoſcendum, quare dicitur ſpecies *impreſſa*, *&* *qua*. His poſitis.

Dico neceſſarium omnino eſt admittere ſpecies impreſſas ad hoc, ut potentia cognoſcitiva cognitionem poſſit producere.

Prob. quia omnis cognitio ſive materialis, ſive ſpiritualis nihil aliud eſt, quàm vitalis imago, ſeu formalis ſimilitudo objecti: ſed nequit eſſe talis, niſi potentiæ cognoſcitivæ imprimatur aliqua ſimilitudo ab objecto; ergò neceſſariò imprimitur ab objecto talis ſimilitudo. Min. prob. quia quælibet potentia cognoſcitiva, eſt de ſe indifferens ad hoc, vel illud objectum percipiendum; ergò debet determinari per aliquid, ut percipiat potiùs unum, quàm aliud objectum: ſed nequit hoc aliquid eſſe, niſi ſpecies impreſſa ipſius objecti; ergò, &c. Min. eſt manifeſta, quia hoc determinativum, nequit eſſe niſi id, per quod potentia cognoſcitiva ſit intentionaliter potiùs hoc, quàm aliud objectum: ſed non poteſt eſſe talis, niſi per ſpeciem impreſſam ab objecto; ergò, &c. Min. prob. quia tale determinativum, nequit eſſe nuda præſentia objecti nihil ex ſe profundentis, alioquin poſſet attingi v. g. videri, audiri

diri objectum, poſita quacumque diſtantia, aut poſito obice intermedio; ergò tale determinativum debet eſſe aliquid ab objecto profuſum, quod vocamus ſpeciem impreſſam. Confirmatur in particulari de ſpeciebus requiſitis reſpectu potentiæ ſenſitivæ hoc experimento: ſit conclave intra quod lumini nullus pateat aditus, niſi per foramen exiguum: intus ad debitam diſtantiam apponatur foramini papyrus alba, apparebunt in papyro imagines omnium rerum, quæ foris ſunt, quod fiet meliùs, ſi prædicto foramini lentem vitream appoſueris; ergò ab objectis producuntur ſpecies impreſſæ.

Ex dictis colligite. Primò ſpeciem impreſſam eſſe qualitatem activam vicariam objecti, per quam potentia cognoſcitiva ultimò completur, & determinatur ad eliciendum proprium actum. Secundò ſpeciem impreſſam determinando indifferentiam potentiæ cognoſcitivæ, concurrere cum ipſa effectivè ad producendam cognitionem. Tertiò talem ſpeciem, in determinanda potentia per ſui formalem communicationem, ſe habe-

re ad inſtar ſigilli, ſeu imaginis cujuſdam, vi cujus dicitur potentia aſſimilari objecto. Quartò quòd ſpecies intentionales potentiæ ſenſitivæ, licèt, ſimpliciter loquendo, ſint materiales, utpote quæ ab objectis materialibus producuntur, tamen ſecundùm quid, vocantur immateriales, tum propter maximam ſui ſubtilitatem, tum quia potentiæ, in qua recipiuntur, conferunt aliquam vim cognoſcendi: omnis autem vis cognoſcendi provenit ab immaterialitate, tanquam a radice, & primo ſui principio: ſic videmus, quòd quo magis potentiæ cognoſcitivæ abſtrahunt a materia, & perfectiorem habent vim cognoſcendi e. g. tactus, & guſtus, quia ſunt materialiores reliquis ſenſibus, per ſpecies tantùm materiales cognoſcunt, & ideo res tantùm ſibi adhærentes, & proximas attingunt: viſus, auditus, & imaginatio, quia utuntur ſpeciebus minùs materialibus, perfectiori modo cognoſcunt, quàm tactus, & guſtus: intellectus humanus, quia ſpiritualis eſt, utitur ſpecie ſimpliciter immateriali, quare non modo res materiales, & ſpirituales ſingulares,

ſed

ſed etiam ſpirituales, & uniuerſali modo, cognoſcit, quamvis non cognoſcit eas modo omnino ſpirituali, ſed dependenter a phantaſmatibus, quia eſt alligatus corpori. Angelicus denique, quia eſt in ſupremo gradu immaterialitatis, cum non ſit forma corporis, ideo cognoſcit res perfectò modo, & ut ſunt in ſe. Quintò denique quòd ſpecies intentionales, ab objectis corporeis productæ, ſunt eſſentialiter diverſæ a reliquis qualitatibus ipſorum, cum habeant diverſas proprietates; experientia enim conſtat, quòd licèt color albus, & niger, nequeant eſſe in eodem ſubjecto, ſpecies tamen utriuſque poſſunt eſſe, & ſunt de facto ſimul in eodem oculo, qui videt utrumque colorem ſimul, ideoque tales ſpecies, non habent illam contrarietatem ad invicem, quam habent inter ſe colores illi.

Quæres utrum omnis ſenſatio fiat per ſpeciem intentionalem rei, quæ ſentitur?

Reſp. omnem ſenſationem fieri per ſpecies intentionales. De potentia viſiva communiter non dubitatur, hæc enim percipit colorem ſe-

junctum, ac diſtantem, atque adeo percipit ipſum, non per ejus entitatem, ſed per ſpeciem ſui. Dubium remanet de reliquis ſenſibus, quibus cum objecta fiant maximè propinqua quando ipſa percipiunt, propterea non per ſpecies, ſed per ſuaſmet entitates attingi putant nonulli. Nihilominus non eſt recedendum a ſententia D. Thomæ, qui 1. par. q. 78. art. 3. in corpore exiſtimat ad omnes ſenſus dari ſpecies intentionales. Ratio eſt, quia uniri naturaliter, & per propriam entitatem objectum potentiæ, non ſufficit ad ſentiendum; ergò requiritur, quòd uniatur intentionaliter, ſeu per ſpeciem. Antecedens probatur, quia ſi ad ſentiendum ſufficeret uniri naturaliter, & per propriam entitatem objectum potentiæ, ſequeretur, quòd dum calor, albedo, & ſimilia uniuntur ligno, aut lapidi; lignum, & lapis ſentirent calorem, albedinem, &c. Nec dicatur, quòd ideo non ſentiunt, quia non ſunt potentiæ vitales, quia plantæ, & herbæ ſunt vitales, nec tamen calorem, aut albedinem ſentiunt, licèt ipſis naturaliter uniantur; ergò ad ſentiendum, non ſufficit objectum

uniri

uniri naturaliter potentiæ vitali; ergò requiritur, ut uniatur intentionaliter. Confirmatur 1. quia quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur; ergò objecta, quæ recipiuntur in potentias ſenſitivas, debent recipi per modum ipſarum potentiarum: ſed potentiarum ſenſitivarum modus, cum ſint agnoſcitivæ, eſt intentionalis; ergò objecta potentiarum ſenſitivarum debent recipi in potentias ſenſitivas intentionaliter; ergò per ſpecies intentionales. Confirmatur 2. quia experientia conſtat, quòd manus calidiſſima ſentit frigus objecti, licèt tale frigus per ſe ipſum in illam non recipiatur; ergò ſignum eſt ipſam ſentire per ſpeciem frigoris.

Ex his facile eſt intelligere quomodo cauſentur ſomnia, quia videlicet, dum animal dormit, imaginatio verſat rerum ſpecies ſibi commiſſas, & ex illis varia format phantaſmata, & ſimulacra: verſat autem per commotionem ſpirituum, deferentium ſecum huc, & illuc ſpecies illas, quare illis, quibus incaleſcit cerebrum, ut fit in febricitantibus, accidunt multa, & inordinatiſſima ſomnia.

DISPVTATIO VLTIMA

De anima rationali.

ANima rationalis eſt actus corporis humani potentia vitam rationalem habentis. Exiſtere animam rationalem eſt de fide definitum in Conciliis Viennenſi, & Lateranenſi, ut alibi prænotatum eſt. Eſſe formam ſubſtantialem humani corporis eſt etiam de fide, & ratione patet, nam quod conſtituit hominem in eſſe ſpecifico hominis, neceſſariò eſt forma ſubſtantialis, non aſſiſtens, ſed informans: ſed anima rationalis conſtituit hominem in eſſe ſpecifico hominis; ergò, &c. Major probatur, quia quod conſtituit hominem in eſſe ſpecifico hominis, conſtituit cum materia ſubſtantiam humanam ſpecie differentem a quovis alio: ſed quod facit hoc, nequit eſſe niſi forma ſubſtantialis informans corpus humanum; ergò, &c. Min. prob. quia materia eſt homini communis cum omnibus rebus corporeis; ergò per materiam nequit conſtitui homo in eſſe ſpecifico; ergò

gò neceſſariò conſtituitur in tali eſſe per formam, & quidem ſubſtantialem, nam nequit aliquid ſubſtantialiter differre ab aliis per quid merè aſſiſtens, aut per quid accidentale; ergò cum homo conſtituatur in eſſe ſpecifico hominis, per animam rationalem, manifeſtum eſt, animam rationalem eſſe verè formam ſubſtantialem humani corporis informantem ipſum, non verò aſſiſtentem. His poſitis.

QVÆSTIO I.

Vtrum anima rationalis ſit ſpiritualis.

NOn modò Ethnici Philoſophi antiquiores Ariſtotele, ſed ex Scriptoribus Eccleſiaſticis nonnulli animam hominis non eſſe ſpiritualem, ſed corpoream arbitrati ſunt; nam Tertullianus lib. de anima cap. 2. & libro de carne Chriſti cenſuit animam rationalem eſſe corpoream, quod idem ſenſit Apollinaris Alexandrinus. Origenes econtra lib. 1. Periarchon cap. 8. putavit animam rationalem eſſe ſpiritualem eodem modo, ac ſunt Angeli. Oſtendimus initio hujus tractatus nec animam

rationalem, nec ullam aliam eſſe corpus, & ideo hic breviter aliqua dumtaxat ſpecialiter de anima rationali ſubjungemus.

Dico I. Anima rationalis non eſt corporea, ſed ſpiritualis.

Prob. I. ex divina ſcriptura, quæ animam hominis appellat ſpiritum in eo ſenſu, quo ſpiritus diſtinguitur a corpore. Eccl. 12. *Revertatur pulvis in terram ſuam unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*, ubi puluis ponitur pro corpore, & ſpiritus pro anima prout a corpore diſtinguitur. Math. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* Ad Galatas 5. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem.* Iacob. 2. *Sicut corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, &c.* in quibus locis anima contra corpus diſtinguitur; ergò anima corporea non eſt.

Prob. II. ratione naturali. Modus operandi ſequitur modum eſſendi: ſed modus proprius operandi animæ rationalis eſt ſpiritualis, & incorporeus; ergò modus eſſendi proprius animæ rationalis, eſt ſpiritualis & incorporeus. Min. prob. quia modus ope-

operandi proprius animæ rationalis eſt intelligere, & velle: ſed utraque operatio ſpiritualis eſt, & incorporea; ergò, &c. Min. prob. quia intelligere verſatur univerſaliter circa omne ens, diſcernitque ſpiritualia a corporeis, & plurima attingit, abſtrahendo a materia, & a ſenſibus: ſed hujuſmodi operatio ſpiritualis eſt, nam materiale eſt determinatum ad unum genus objectorum, & attingit ſola materialia; ergò intelligere, qui eſt modus proprius operandi animæ rationalis, eſt ſpiritualis. Velle pariter ſpirituale eſt, nam voluntas in homine imperat appetitui ſenſitivo, & utitur corpore tanquam inſtrumento ad varios fines; ergò eſt altioris ordinis quàm ſit appetitus ſenſitivus, & ipſum corpus; ergò eſt ſpiritualis. Rurſus voluntas humana delectatur amore rerum ſpiritualium, & amicitiam vel cum ipſo Deo jungit, ſed non poſſet hæc facere, niſi ſpiritualis eſſet; ergò, &c.

Dico II. Anima rationalis non eſt ſubſtantia ſpiritualis completa, ut Angelus,

Prob.

Prob. quia divina ſcriptura, SS. PP. & Concilia animam ut hominis partem agnoſcunt: ſic Sapientiæ 9. *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam* Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere*. D. Athanaſius in Symbolo *Sicut anima rationalis, & caro unus eſt homo, &c.* Concilium Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. cap. Firmiter. *Deus ab initio utramque de nihilo condidit creaturam, corporalem, & ſpiritualem; angelicam ſcilicet, & mundanam. Deinde humanam, quaſi communem, ex ſpiritu & corpore conſtitutam*. Ratiò ulterior eſt, quia ex anima rationali, & corpore fit unum per ſe: ſed ſi anima rationalis eſſet ſubſtantia completa, non poſſet ex ipſa, & corpore fieri unum per ſe, cum hoc poſcat fieri ex pluribus incompletis, quorum unum ſe habeat per modum actus, alterum per modum potentiæ; ergò anima rationalis non eſt ſubſtantia ſpiritualis completa, ſed incompleta.

Ob. Si anima rationalis eſſet incorporea, non haberet proportionem cum corpore, atque adeo nec aptitudinem ad informandum corpus:

pus; ergò non eſt incorporea. Confirm. quia forma debet communicare ſuas operationes corpori, quod informat, nec poteſt operari niſi dependenter a corpore: ſed ſi anima rationalis eſſet incorporea, ſuas operationes utpotè ſpirituales, non poſſet communicare corpori, cum corpus non ſit capax, niſi operationum corporearum. ergò, &c.

Reſp. diſt. Anteced. Non haberet cum corpore proportionem mathematicam concedo; phyſicam, nego. Proportio mathematica eſt, quæ inter quantitates reperitur, ut inter palmum, & palmum. Proportio phyſica eſt, quæ reperitur inter actum, & potentiam, perfectivum, & perfectibile, & ſimilia; anima, utpote expers quantitatis, non poteſt habere cum corpore proportionem mathematicam: habet tamen phyſicam, quia eſt actus corporis, & eſt ejuſdem perfectiva, cum illud vivificet. Ad confirmationem reſp. quod anima rationalis informando corpus, ipſum elevat ad operationes vegetativas, & ſenſitivas, quas exercere nequit, niſi dependenter a corpore: communicat etiam corpori, non

qui-

Prob. quia divina ſcriptura, SS. PP. & Concilia animam ut hominis partem agnoſcunt: ſic Sapientiæ 9. *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam* Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere*. D. Athanaſius in Symbolo *Sicut anima rationalis, & caro unus eſt homo, &c.* Concilium Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. cap. Firmiter. *Deus ab initio utramque de nihilo condidit creaturam, corporalem, & ſpiritualem; angelicam ſcilicet, & mundanam. Deinde humanam, quaſi communem, ex ſpiritu & corpore conſtitutam*. Ratio ulterior eſt, quia ex anima rationali, & corpore fit unum per ſe: ſed ſi anima rationalis eſſet ſubſtantia completa, non poſſet ex ipſa, & corpore fieri unum per ſe, cum hoc poſſeat fieri ex pluribus incompletis, quorum unum ſe habeat per modum actus, alterum per modum potentiæ; ergò anima rationalis non eſt ſubſtantia ſpiritualis completa, ſed incompleta.

Ob. Si anima rationalis eſſet incorporea, non haberet proportionem cum corpore, atque adeo nec aptitudinem ad informandum corpus:

pus; ergò non eſt incorporea. Confirm. quia forma debet communicare ſuas operationes corpori, quod informat, nec poteſt operari niſi dependenter a corpore: ſed ſi anima rationalis eſſet incorporea, ſuas operationes utpotè ſpirituales, non poſſet communicare corpori, cum corpus non ſit capax, niſi operationum corporearum. ergò, &c.

Reſp. diſt. Anteced. Non haberet cum corpore proportionem mathematicam concedo; phyſicam, nego. Proportio mathematica eſt, quæ inter quantitates reperitur, ut inter palmum, & palmum. Proportio phyſica eſt, quæ reperitur inter actum, & potentiam, perfectivum, & perfectibile, & ſimilia; anima, utpote expers quantitatis, non poteſt habere cum corpore proportionem mathematicam: habet tamen phyſicam, quia eſt actus corporis, & eſt ejuſdem perfectiva, cum illud vivificet. Ad confirmationem reſp. quod anima rationalis informando corpus, ipſum elevat ad operationes vegetativas, & ſenſitivas, quas exercere nequit, niſi dependenter a corpore: communicat etiam corpori, non

qui-

quidem in abſtracto, ſed in concreto, ideſt toti compoſito, operationes intelligendi, & volendi, quatenus homo eſt, qui denominatur intelligens, & volens, & has ipſas exercet, cum aliqua remota dependentia a corpore, quatenus exercet dependenter ab operatione ſenſuum juxta illud: *Nihil eſt in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu.*

Quæres quænam ſit animæ rationalis origo?

Reſp. Docuerunt nonnulli, in quorum errore fuerunt Tertullianus, & Apollinaris, animam rationalem fieri per traducem, ideſt propagari ex ſemine a parentibus. Alii, ut Manichæi, & Gnoſtici dixerunt ipſam eſſe Divinitatis particulam. Vera ſententia eſt animam rationalem produci per creationem. Ratio eſt, quia anima rationalis eſt creatura, & eſt ſpiritualis; ergò ut creatura fieri debet ex nihilo ſui, & ut ſpiritualis ex nihilo ſubjecti, cum ſpirituale produci nequeat dependenter a ſubjecto, ſeu materia, alioquin dependeret a materia, & ſic non eſſet ſpirituale: ſed produci ex nihilo ſui, & ſubjecti eſt fieri per creationem; ergò anima ratio-

rationalis producitur per creationem. Hinc refutatus manet error dicentium animam rationalem ab agente naturali generari ex traduce, cum enim generari ex traduce ſit fieri ab agente corporeo dependenter á ſubjecto, ſi anima rationalis utpote ſpiritualis nequit fieri ab agente corporeo dependenter a ſubjecto, clarum eſt non poſſe generari ex traduce. Alter error dicentium animam eſſe Divinitatis particulam, refutatur facilè, non modò ex divinis ſcripturis dicentibus Deum creaſſe, & feciſſe animam, ut patuit in præcedentibus, ſed etiam ex abſurdis evidentiſſimis, cum enim ſint diſtinctæ animæ in diſtinctis hominibus, ſequeretur Divinitatem in plures diviſam eſſe particulas, atque adeo mutabilem eſſe. Rurſus, animas noſtras ejuſdem eſſe naturæ cum Deo, ideoque incapaces malorum, & vitiorum contra id, quod ipſa demonſtrat experientia.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

Vtrum anima rationalis ſit immortalis.

THnetocphyditæ hæretici Saduceçorum opinionem ſectati circa annum Domini 630. dixerunt hominis animam, ſimul cum corpore interire, in quem errorem, incidit etiam Hermanus Reſuvich Batavus anno Domini 1500.

Dico certum eſt tum ex fide, tum ratione naturali animam rationalem eſſe immortalem.

Prob. I. ex ſcripturis. Eccleſiaſt. 12. *Revertatur pulvis in terram ſuam unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*. Sapientiæ 2. *Nec judicaverunt honorem animarum ſanctarum, quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum*. Sap. 3. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis, viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace*. Sap. 5. *Iuſti autem in perpetuum vivent, & apud Dominum eſt merces eorum*. Malach. 6. *Et ſi in præſenti tempore ſuppliciis hominum eripiar, ſed manum Omnipotentis, nec vivus, nec defunctus effugiam*. Matth.

10.

10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* Lucæ 6. *Factum eſt autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in inferno.* Corinth. 15. *Si Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides veſtra. Ergo qui dormierunt in Chriſto, perierunt.* Apoc. 6. *Vidi ſub altare animas interfectorum, & clamabant voce magna.* Ex quibus locis manifeſtiſſimum eſt animas permanere poſt hominis mortem. Idem omnes SS. PP. & Eccleſia ſemper docuerunt.

Prob. II. ex auctoritate Philoſophorum, nam teſte Plutarco lib. 4. de placitis Philoſophorum cap. 7. Socrates in Phædro Platonio, Plato in Timæo, & ante ipſos Pythagoras expreſſe animam hominis immortalem aſſeruere. Ariſtoteles verò, de quo aliqui dubitarunt lib. 3. de An. tex. 20. loquens de intellectu inquit: *Non aliquando quidem intelligit, aliquando autem non intelligit. Separatus autem eſt ſolum hoc quod quidem eſt, & hoc ſolum immortale eſt, & perpetuum* 1. Ethic. c. 11. *Conferre quid defunctis proſperi amicorum ſucceſſus videntur, ſimili modo etiam infortunia, ita tamen, ut neque fælices reddere*

dere infælices, neque quippiam tale efficere valeant. Si autem ſimul cum corporibus interirent animæ, non eſſent capaces amplius fælicitatis, & lætitiæ ex proſperis amicorum ſucceſſibus, ut eas ſupponit hic Philoſophus.

Prob. III. ratione naturali. Omne corruptibile vel eſt tale per ſe, vel per accidens: anima rationalis neque per ſe, neque per accidens eſt corruptibilis; ergò anima rationalis eſt omnino incorruptibilis, ſeu immortalis. Min. prob. quia corruptibile per ſe eſt illud, quod conſtat intrinſecè ex contrariis, aut eſt diviſibile in partes, per quarum diſſolutionem corrumpatur, ſed anima rationalis neque conſtat intrinſecè ex contrariis, neque eſt diviſibilis in partes; ergò non eſt corruptibilis per ſe. Min. prob. quia ut ſupra probatum eſt, anima rationalis eſt ſubſtantia ſimplex ſpiritualis, omnino independens a materia, & ex nullo materiali conflata: ſed quod tale eſt, non conſtat intrinſecè ex contrariis, neque eſt diviſibile in partes, alioquin eſſet ſimplex, & non ſimplex, ſpirituale, & non ſpirituale, independens, & dependens ſimul a materia;

ergò

ergò anima rationalis neque conſtat intrinſecè ex contrariis, neque eſt diviſibilis in partes; ergò non eſt corruptibilis per ſe. Nec etiam eſſe corruptibilem per accidens ſic obſtenditur.

Illud eſt corruptibile per accidens, quod deficit, deficiente compoſito, in quo ſubjectatur, ut lux quæ deficit in aere, occidente ſole, a quo dependet, vel quod deficit propter defectum cauſæ conſervantis: ſed anima rationalis neutro modo eſt defectibilis; ergò non eſt per accidens corruptibilis. Min. prob. quia anima rationalis non dependet a corpore, neque a quopiam alio materiali, ut ſupra oſtenſum eſt, & ejus cauſa eſt ſolus Deus, qui eſt incapax defectus, & per ſcripturas manifeſtavit ſe conſervaturum animas rationales in perpetuum; ergò anima rationalis neutro modo eſt corruptibilis; ergò eſt ſimpliciter immortalis.

Prob. IV. quia Deus, & Natura, nihil faciunt fruſtra: ſed Natura indidit homini appetitum beatitudinis æternæ; ergò anima hominis eſt capax talis beatitudinis: ſed hanc aſſequi nequit in hac vita; ergo debet

durare

durare in æternum poſt hanc vitam. Confirmatur hæc ratio. Nam unumquodque debet ea duratione durare, qua finem ſuum aſſequi poſſit, alioquin fuiſſet a Supremo Artifice inſipienter ordinatum ad illum finem: ſed homo ordinatus eſt a Deo ad ſe ipſum, ut ad ultimum finem; ergò durare debet ea duratione, qua poſſit hunc finem aſſequi: ſed nequit hunc finem aſſequi, dum eſt in hac vita; ergò durare debet poſt hanc vitam. Min ultima eſt certa, nam in hac vita nullus aſſequitur id, quo ſit perfectè beatus, cum enim beatitudo ſit ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, clarum eſt in hac vita non reperiri hunc ſtatum, cum nullum ſit bonum, quod multis mixtum malis, & imperfectionibus hic non ſit. Imò niſi duraret homo poſt hanc vitam, eſſet miſerabilior cæteris animantibus, his enim ſuppeditavit natura quæcumque ſunt ad vitam neceſſaria, nec curis, & doloribus animi agitantur ut homines, cum tamen homo plurimis careat ad vitæ ſuſtentationem requiſitis, & continuis animi angatur ſollicitudinibus; ergò, &c.

Prob.

Prob. V. datur in Deo providentia juſtè mundum gubernans: ſed hoc non eſſet, ſi anima rationalis immortalis non foret; ergò eſt immortalis. Min. prob. quia ad rectam, & juſtam mundi gubernationem ſpectat, ut pro ratione meriti & demeriti, præmia bonis, pænæ ſceleratis rependantur: ſed hoc non fieret, ſi anima rationalis immortalis non eſſet; ergò, &c. Min. prob. quia experientia conſtat, plurimos pios, toto hujus vitæ tempore perpetuis affici ærumnis, & in ipſo virtutis exercitio mori: impios verò, bonis affluere, & proſperitatibus abundare, quare Hieremias cap. 12. ajebat. *Quare via impiorum probatur? bene eſt omnibus, qui prævaricantur, & iniquè agunt?* ergò ſi poſt hanc vitam non durant animæ, non rependet pro meritis præmia Deus, nec pro demeritis pænas, & ſic in ipſo non erit providentia; ergò remanent, ſeu durant, & ſunt immortales poſt hanc vitam animæ, & tunc præmia, & pænas pro operum qualitate recipiunt.

Prob. denique ſic. Omnis doctrina neceſſaria ad virtutem ſectandam, & vitia fugienda, ut poſcit ius

natu-

naturale veriſſima eſt: ſed doctrina de animæ rationalis immortalitate eſt hujuſmodi; ergò veriſſima eſt. Min. prob. quia ad virtutem ſectandam, & vitia fugienda, ut poſcit jus naturale, neceſſe eſt negligere res ad hanc vitam pertinentes, e. g. ad Religionem erga Deum conſervandam, debemus, & res, & famam, & vitam ipſam impendere: ad Temperantiam fovendam, debemus voluptates reſpuere: ad Iuſtitiam colendam plurimas cogimur utilitates proprias negligere: ad Fortitudinem exhibendam pro bono reipublicæ tenemur mortem ſubire, ideoque virtutis opera ſunt ardua, vitii verò facilia, quia illa cum jactura rerum in hac vita delectantium, hæc verò cum jucunditate ſenſuum ſunt conjuncta. ſed ad totum hoc præſtandum, ut poſcit jus naturale, neceſſaria eſt doctrina de animæ rationalis immortalitate; ergò, &c. Min. prob. quia ſecluſa doctrina de animæ rationalis immortalitate, non poſſet homo frui aliis bonis, quàm jucunditatibus, & utilitatibus præſentis vitæ, & ſic hæc bona eſſent ejus ultimus finis; ergò ut rationabili-

biliter operaretur deberet hæc bona quærere, ſectari, & amplecti, & ſic a virtute recedere, & ad vitium accedere, alioquin neglectis his bonis, nullum aliud poſſet ſperare (quod tamen eſt contra jus naturale); ergò ad virtutem ſectandam, & vitia fugienda, ut poſcit jus naturale, neceſſaria eſt doctrina de animæ rationalis immortalitate, qua ſcilicet ſciat homo ſibi reſervari alia bona, quibus poſt hanc vitam fruatur; ergò anima rationalis eſt immortalis. Hujus demonſtrationis vim attigère etiam Ethnici, inter quos Cicero lib. de ſenect. ait. *Niſi ita ſe haberet, ut animi immortales eſſent, haud optimi cujuſque animus maximè ad immortalem gloriam niteretur*. Rurſus inquit: *Quid quod ſepientiſſimus quiſque æquiſſimo moritur animo, ſtultiſſimus iniquiſſimo? Nonnè vobis videtur animus is, qui plus cernat, & longiùs videre ſe ad meliora proficiſci; ille autem, cujus obtuſior ſit acies, non videre?*

Ob. I. Anima rationalis fit ex nihilo; ergò revertitur in nihilum. Confirmatur, quia anima rationalis non eſt per ſe ſubſiſtens; ergò nequit ſeparata perſeverare in eſſe. Antecedens patet, nam quod eſt per

ſe ſubſiſtens eſt *hoc aliquid*; ſed anima rationalis non eſt *hoc aliquid*, cum repugnet eſſe *hoc aliquid* illud quod eſt pars ejus, quod eſt *hoc aliquid*, quale eſt homo.

Reſp. Conceſſo Antecedenti nego conſequentiam, nam etiam Angeli, facti ſunt ex nihilo, & tamen in nihilum non revertuntur. Ad hoc ergò, ut aliquid revertatur in nihilum non ſufficit, quòd ſit ex nihilo, ſed requiritur, ut vel habeat contrarium, vel conſtet ex partibus, vel pendeat ab eo, quod eſt defectibile, vel privetur cauſa conſervante: nihil horum militat contra animam rationalem, ut ſupra oſtenſum eſt, & propterea in nihilum non revertitur. Ad confirmationem negato antecedenti diſtinguo minorem probationis; anima rationalis non eſt hoc aliquid completum concedo, incompletum nego. Hoc aliquid dupliciter poteſt accipi. Primò, ut ſignificat ens completum, in quo ſenſu loquitur Philoſophus, cum dicit id non eſſe hoc aliquid, ideſt completum, quod eſt pars ejus, quod eſt hoc aliquid, & in hac acceptione anima non eſt *hoc aliquid*, cum ſit

enti-

entitas incompleta. Secundò poteſt accipi pro ente per ſe ſubſiſtente, & in hoc ſenſu anima rationalis eſt *hoc aliquid*, ſcilicet per ſe ſubſiſtens, non quidem completè, ſed incompletè; quod ſufficit ad hoc ut ſeparata a corpore perſeveret.

QVÆSTIO III.

Vtrum anima rationalis uniatur corpori ut forma informans.

PLato lib. 5. de natura hominis cenſuit animam rationalem non eſſe formam informantem, ſed merè aſſiſtentem ipſi, ſicut aſſiſtit auriga currui, & nauta navi, ideoque in Alcibiade docuit, ſolam animam eſſe hominem. Origenes credidit lib. 1. Periarchon cap. 7. animas rationales eſſe entia completa, ut ſunt Angeli, & poſt peccatum detruſas fuiſſe in corpora tanquam in carceres, ut ibi morarentur, non verò ut illis unirentur. Hoc eodem errore deceptus eſt quidam Petrus Ioannes diſcipulus Abbatis Ioachimi, & renovarunt eundem aliqui circa annum 1300. ut colligitur ex Conciliis Lateranenſi ſub ipſo Leone X. ſeſſ. 8.

 & pa-

& patronum ſe hujus ſententiæ profeſſus eſt Luterus, ut patet in articulis ſuis, in quorum 27. contra Romanum Pontificem invehitur, quòd definiverit animam rationalem eſſe formam corporis.

Dico. Eſt ex fide certum, & ratione naturali manifeſtum, animam rationalem eſſe verè formam corporis.

Prob I. quia ſic definivit Eccleſia in Concilio Vienneniſi ſub Clemente V. & in Lateranenſi ſub Leone X., ut alibi citavimus; & hæc eſt unanimis Sanctorum Patrum ſententia.

Prob. II. ratione. Si anima rationalis non eſſet forma ſubſtantialis corporis, nulla operatio humana, puta, intellectio, & volitio tribui poſſent homini, nec poſſet dici *homo intelligit, homo vult*: ſed hoc eſt abſurdum; ergo anima rationalis eſt forma ſubſtantialis hominis. Major prob. homo non intelligeret, & vellet ſecundùm corpus, cum non poſſit corpus eſſe principium intellectionis, & volitionis: nec etiam intelligeret & vellet, eo quòd intelligat, & velit anima, quia anima non eſſet pars ſubſtantialis hominis, & ſicuti

cuti quia auriga non eſt pars ſubſtantialis currus, ſed merè aſſiſtit currui, dici nequit, quòd currus videat, loquatur, &c. licèt videat, & loquatur auriga, ita ſi anima non eſſet forma informans, ſed aſſiſtens, licèt ipſa intelligat & velit, non poſſet dici quòd homo intelligat, & velit.

Ob. I. ſi anima rationalis eſſet forma informans corpus, etiam ipſum corpus eſſet intelligens, & volens: ſed hoc eſt falſum; ergò, &c. ſequela probatur, quia actio formæ tribuitur habenti formam: ſed corpus haberet formam intelligentem, & volentem; ergo intellectio, & volitio tribuerentur corpori, & ſic corpus eſſet intelligens, & volens.

Reſp. Negata ſequela, diſtinguo majorem probationis. Actio formæ tribuitur habenti formam, & potentiam, ex qua immediatè oritur actio, concedo, habenti formam tantúm, nego. Cum ergò corpus non ſit potentia intellectus, & voluntas, ex quibus potentiis immediatè oritur actio intelligendi & volendi, propterea corpus non eſt capax actionum intelligendi, & volendi.

Ob. II. Si anima eſſet forma corporis, inciperet eſſe cum corpore, & ſic deſineret etiam eſſe deſinente corpore: quia ut ait Ariſtoteles 1. de cœlo tex. 102. *Omne quod habet initium, habet quoque finem*.

Reſp. Ariſtotelem loqui de iis, quæ habent initium per generationem, quæ ſicut generantur cum corpore, ita deficiunt deficiente corpore: anima autem rationalis non habet initium per generationem, ſed ut ait idem Philoſophus lib. 2. de generat. animal. cap. 3. *de foris venit*, ſcilicet per creationem, & independenter a corpore producitur, ac propterea non debet deſinere deſinente corpore, etiam ſi ſit forma corporis, & incipiat eſſe cum corpore.

Ob. III. Anima rationalis non eſt in eodem, ſed in diverſo genere cum corpore; ergò nequit eſſe actus corporis. Conſequentia probatur, quia actus, & potentia debent eſſe in eodem genere; ergò cum anima ſit in genere incorruptibilium, corpus vero corruptibilium, nequit anima rationalis eſſe actus corporis.

Reſp. In primis tale axioma *actus, & potentia ſunt in eodem genere*, non ſigni-

ſignificat id, quod intendit objectio, ſed ſignificat, quod eadem res, quæ erat in potentia, ſit poſtea in actu, e. g. quòd quando ponetur in actu Antichriſtus, ſit idem ille, qui erat in potentia: ſed dato etiam quòd intelligendum ſit axioma de potentia, & actu informante potentiam, adhuc nihil fit contra nos, nam anima, & corpus ſunt in eodem genere ſubſtantiæ phyſicæ.

QVÆSTIO IV.

Vtrum omnium hominum ſit una numero anima, an vero multiplex pro numero corporum.

FVit Pytagoreorũ opinio animas hominum migrare de uno in aliud corpus, & conſequenter non eſſe tot animas, quot corpora. Huic errori ſubſcripſere Manichæi, Albigenſes, & Iudæi Thalmundiſtæ.

Dico. Certum eſt ex Fide Divina, & ratione naturali tot eſſe numero animas hominum, quot ſunt corpora.

Prob. I. ex Divina Scriptura, quæ animas hominum, quatenus ſunt propriæ hominum ſignificat in plu-

rali. Exodi 30. *Propitietur animabus eorum*. Sapient. 2. *Nec judicaverunt honorem animarum ſanctarum*. Matth. 11. *Et invenietis requiem animabus veſtris*. Lucæ 21. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*. Apocalypſis 6. *Vidi ſub altare animas interfectorum*. Ex quibus, & aliis innumeris locis patet, loqui ſcripturam de anima cujuſque, quatenus eſt propria, atque adeo non communis alteri corpori. Idem definivit Eccleſia in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. ſeſſ. 8. & perpetuò ſenſerunt SS. PP. ut patet ex D. Gregorio Nyſſeno lib. de hominis opificio cap. 28. Iræneo lib. 1. c. 20. Aguſtino hæreſi 46. & aliis.

Prob. II. ratione naturali. Anima rationalis conſtituit intrinſecè hominem individuum; ergo tot ſunt animæ rationales, quot ſunt homines individui: ſèd homines individui ſunt tot, quot ſunt corpora humana; ergò & animæ rationales tot ſunt, quot ſunt corpora humana. Prob. utraque conſequentia, quia ſicut homo ſpecificè conſtat ex corpore, & anima rationali, ita homo individuus, conſtat ex hoc corpore, & ex hac anima rationali; ergo ſicut homo

mo ſpecificè ſumptus, eſt impoſſibile, ut non habeat animam ſpecie differentem ab animabus aliorum animantium, ita individualiter acceptus, impoſſibile eſt, ut non habeat animam numero diſtinctam ab aliis individuis.

Prob. III. contra Averroem, & ejus aſſeclas, non eſſe unam omnium hominum animam rationalem. Si omnes homines haberent eandem animam rationalem, haberent etiam eandem operationem intellectus, & voluntatis: ſed hoc eſt abſurdum, & repugnat experientiæ; ergò, &c. Major patet; nam idem intellectus, & eadem voluntas, ac proinde eædem ſpecies intentionales, & habitus eſſent in omnibus hominibus; ergò eædem eſſent in omnibus operationes intelligendi, & volendi, cum ejus ſit operatio, cujus eſt potentia, & principium operationis.

QVÆSTIO V.

Quænam, & quot ſint potentiæ animæ rationalis.

Nomine potentiarum in præſenti intelligimus immediata quædam principia vitalium operationum, quæ principia eſſe plura in homine clarum eſt, nam experimur in nobis varias, & plures eſſe operationes vitales, ex quibus pluralitas, & varietas principiorum deducitur. Ariſtoteles 2. de an. tex. 27., & cum eo communiter Scholaſtici, enumerat quinque potentias, ſcilicet vegetativam, ſenſitivam, appetitivam, loco motivam, & intellectivam. Differunt inter ſe iſtæ potentiæ, quia vegetativa habet operationem vitalem ſolùm circa corpus animatum, & ipſam exercet per organum corporeum, & qualitates naturales corporis e. g. calorem, humiditatem, &c. Senſitiva habet operationem vitalem, circa quodlibet corpus, affectum variis accidentibus, & ipſam exercet per organum corporeum, non tamen per naturales qualitates corporis, ut facit vegeta-

getativa, ſed per qualitates intentionales, ſcilicet per ſpecies, ſeu ſimilitudines quaſdam repræſentativas corporum impreſſas ipſi potentiæ, de quibus ſpeciebus ſupra tractavimus. Appetitiva habet operationem vitalem, qua tanquam actu ſuo elicito inclinatur in bonum, quod eſt in ipſa intentionaliter, per ipſius ſpeciem impreſſam, & per cognitionem, qua ſit ab ipſa appræhenſum. Loco motiva eſt vis quædam animæ, qua poteſt homo locum ſibi convenientem petere ad res neceſſarias, vel utiles ſibi quærendas. Intellectiva attingit omne ens ſub ratione veri.

Appetitiva dividitur in appetitum ſenſitivum, & rationalem: intellectiva in intellectum agentem, & poſſibilem. De appetitu rationali, & de intellectu agemus hic, cum de reliquis egerimus ſupra.

QVÆSTIO VI.

Quid, & quotuplex ſit intellectus.

VT facilè intelligatur quidditas intellectus, multum proderit explicare intellectionem. Intellectio igitur eſt actio quædam immanens, in qua verum omne cognoſcimus. Intellectus eſt proximum, & immediatum principium intellectionis. Ineſſe homini tale principium evidens eſt, cum experiamur nos percipere rerum veritatem, & diverſiſſimas ipſarum naturas. Potentia intellectiva dicitur etiam ratio, & mens, & quia intellectus eſt principalis animæ potentia; propterea ipſa anima denominatur aliquando intellectus, & mens, ut patet ex Ariſt. 1. de an. tex. 65. ubi dicit intellectum eſſe ſubſtantiam quandam, & ex D. Auguſtino lib. 9. de Trinit. c. 4. His poſitis.

Dico intellectum rectè dividi in agentem, & poſſibilem, ita Ariſt. lib. 3. de an. tex. 17. & cum ipſo Peripatetici omnes, excepto Durando.

Prob. Intellectus humanus eſt in potentia, ut intentionaliter fiat actu,

ipſum

ipſum objectum intelligibile per illius ſpeciem ad hoc, ut illud intelligat; ergò dari debet potentia activa per quam reducatur ad actum, ideſt quæ producat ſpeciem intelligibilem, ad quam recipiendam intellectus eſt in potentia, cum omni potentiæ paſſivæ naturali reſpondeat activa ejuſdem ordinis ipſi proportionata: ſed talis potentia activa, proportionata potentiæ paſſivæ intellectus, nequit eſſe niſi intellectus agens; ergò neceſſariò admittendus eſt intellectus agens. Min. probatur, quia talis potentia activa nec eſt Deus, nec Angelus, nec objecta intelligibilia, nec quidquam aliud; ergò eſt intellectus agens. Antecedens probatur. Non eſt Deus ut cauſa univerſalis, quia ſecundùm hanc rationem reducit omnia in actum, concurrendo cum cauſa particulari ſecunda. Nec eſt Deus ut creans animam, ſicuti Angelos, quibus ab initio infundit ſpecies intelligibiles, & ideo non debuit ab initio eſſe perfecta in tali genere, ſed in pura potentia, & tanquam tabula raſa. Neque talis potentia eſt aliquis Angelus, quia Angeli nihil effectivè producunt

in

in anima noſtra. Nec denique eſt potentia ipſorum objectorum intelligibilium, quia hæc nequeunt producere niſi ſpecies materiales, quæ per ſe ſunt improportionatæ intellectui, qui eſt ſpiritualis; ergò ſupereſt quod potentia paſſiva intellectus ad receptionem ſpecierum reducatur in actum ab aliqua virtute ejuſdem animæ, quæ cum ſit facultas activa, nominatur intellectus agens.

Vt intelligatis autem quomodo intellectus agens producat tales ſpecies, notate, quòd a Deo ut Auctore naturæ, inſtituta eſt inter phantaſiam,& intellectum talis connexio, ut nihil percipi poſſit ab intellectu, quod vel ſecundùm ſe, vel ſecundùm aliquid habens ad phantaſiam peculiarem ordinem, non fuerit priùs a phantaſia perceptum, unde ortum eſt illud axioma: *Nihil eſt in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu*. Dixitque Ariſt. lib. 3. Metaph. *Neceſſe eſt intelligentem phantaſmata ſpeculari*. Cum itaque productio ſpecierum intentionalium ordinetur ad cognitionem, nullius rei ſpecies intelligibilis producitur ab intellectu agente in intellectu poſſibili, cuius rei

vel

vel ſecundùm ſe, vel ſecundùm aliquid, ad quod habeat peculiarem ordinem, non ſit etiam producta prius ſpecies in ſenſu, & phantaſma in phantaſia. Convertit ſe intellectus agens ad phantaſmata, & ex eis elicit, & format ſpecies intelligibiles. Advertendum tamen eſt, quòd licèt idem objectum repræſentetur, & per phantaſma, & per ſpeciem intelligibilem formatam ab intellectu agente, tamen per phantaſma non repræſentatur niſi ut ſingulare, & individuum, eo prorſus modo, quo percipitur ab aliis ſenſibus; at per ſpeciem intelligibilem formatam ab intellectu agente repræſentatur abſolutè ſecundùm ſuam quidditatem, & ut abſtractum a ſua ſingularitate; & conditionibus individuantibus, quia intellectus habet modum cognoſcendi abſtractivum, ſeu univerſalem. Per hoc itaque, quòd objectum per ſpecies intelligibiles ab intellectu agente productas, appareat in univerſali, & præciſum a conditionibus individuantibus illud idem, quod per phantaſma repræſentabatur minùs clarè, & immixtum conditionibus individuantibus, propterea dicitur intel-

intellectus convertere ſe ad phantaſmata, illa illuminare, & eis tanquam inſtrumento uti. De intellectu poſſibili non eſt neceſſe diſputare, certum enim eſt ſpecies intelligibiles recipi in aliquo intellectu, qui acceptis ſpeciebus elicit cognitionem: ſed hoc intelligitur nomine intellectus poſſibilis; ergò certum eſt dari intellectum poſſibilem.

Ob. cum Durando. Ideo ponitur intellectus agens, quia intellectus eſt in potentia objectum intelligibile: ſed hoc fundamentum eſt nullum; ergò non eſt ponendus intellectus agens. Min. prob. quia etiam ſenſus eſt in potentia objectum ſenſibile, & tamen non propterea ponitur ſenſus agens; ergò neque ponendus eſt intellectus agens, quamvis intellectus ſit in potentia objectum intelligibile.

Reſp. Nego paritatem. Diſparitas eſt, quia objectum ſenſibile, quatenus eſt realiter ſingulare, eſt determinatum; & ſenſus primò percipit ſingulare, & ſic objectum ſenſibile, & materiale poteſt producere ſpeciem ſui in ſenſu, qui eſt quid materiale, cum ſit actus organi corporei; objectum vero intellectus primario

mariò eſt quid materiale, & non eſt propterea actu intelligibile, quatenus eſt in ſe materiale, ac per conſequens, non eſt proportionatum intellectui, cum intellectus non ſit actus materiæ, & corporis, & ſic per ſe ſolum non poteſt producere ſpeciem intelligibilem, ſed hæc produci debet ab aliqua virtute immateriali, qualis eſt intellectus agens. Ex dictis patet intellectum agentem concurrere ut cauſam principalem ad producendas ſpecies intelligibiles, phantaſma verò concurrere inſtrumentaliter; unde ſicuti in artefactis relucet aliquid, quod artifici, ut cauſæ principali, & aliquid quod inſtrumento, ut cauſæ inſtrumentali correſpondet e. g. in ſcamno relucet ratio artificioſi, quæ fabro lignario, & ratio ſectionis ligni quæ ſerræ correſpondet, ita in ſpecie intelligibili ratio repræſentativa objecti correſpondet phantaſmati, ratio verò modi ſpiritualis, & immaterialis correſpondet intellectui agenti.

Porro intelligere eſt operatio prorſus immaterialis, quia per intellectionem abſtrahuntur ipſa etiam objecta in ſe a parte rei individua-

lia

lia, & materialia ab omnibus conditionibus individualibus, & materialibus, ita ut exiſtant in intellectu univerſaliter, ac omnino immaterialiter.

Colligite rurſus, quòd intellectus ex natura, & conceptu proprio eſt potentia purè aſſimilativa, ſolumque effectiva ſimilitudinum, & imaginum formalium quorumlibet objectorum, ac propterea ab Ariſtotele, & Philoſophis communiter dicitur, quòd intellectus eſt quodammodo omnia, quatenus poteſt rerum omnium faciem aſſumere, inducendo earum ſimilitudines, & imagines; quare ſicuti corpus, quia ex natura ſua aſcendit, & deſcendit per ſolam levitatem, & gravitatem, ad hoc ut velociùs aſcendat, aut deſcendat, non poteſt promoveri, & juvari, niſi majori gravitate, vel levitate; ita intellectus ad ſuas operationes promoveri, & juvari ſolum poteſt per comprincipia aſſimilativa, ſeu ſpecies intelligibiles, quæ ſcilicet in genere intentionali continent ſpecialiter objecta, quæ intellectus cognoſcere poteſt.

Co-

Cognoſcere autem nequit intellectus noſter niſi cognitione ab ipſo diſtincta, quia cum ſit finitus, & limitatus, repugnat ipſi propterea ut ſit a ſe, ſeu ab intrinſeco; cum igitur de ratione intellectionis, ſicuti, & volitionis ſit eſſe ab intrinſeco, ſeu eſſe ab ipſo intelligente, & volente, non poteſt non diſtingui ab ipſo, alioquin ſi eſſet cum intellectu noſtro identificata, ſicuti ipſa eſſet a ſe, & ab intrinſeco, ita & intellectus eſſet a ſe, & ab intrinſeco, quod repugnat cuivis ſubſtantiæ creatæ, quæ petit eſſentialiter eſſe ab alio.

Subſtantiæ intellectuali creatæ, qua intellectualis eſt, convenit genus perfectionis valde ſuperius perfectione rerum omnium, quæ intellectuales non ſunt, quia intellectualitas continet in ſe vaſtitatem quandam eſſendi quodammodo interminatam, quatenus omnia intelligendo, poteſt intentionaliter fieri omnia, videlicet ea ſibi adjungendo, & ſuperaddendo per ſimilitudines, & imagines ipſarum, quas poteſt exprimere. Cum bruta econtra ſint reſtricta ad ſola immediatè ſenſibilia: alia vero, quæ cognoſcitiva non ſunt, ſint adhuc

magis

magis reſtricta incomparabiliter, quatenus ſunt modis omnibus coarctata ad unum determinatum genus, quod nullo pacto continet alia genera.

Intellectus, & voluntas movent ſe mutuò quoad aliquos actus per aliquos alios actus ſuos; nulla eſt enim repugnantia, quòd idem reſpectu ejuſdem, in ordine tamen ad diverſa, ſit movens, & mobile. Differunt tamen in hoc, quòd voluntas movetur ab intellectu quoad omnes ſuos actus, per aliquem actum ipſius intellectus, nam primus actus voluntatis, quoties ipſa incipit de novo operari, eſt ab aliquo actu intellectus, non minùs, quàm deinde quilibet alius actus voluntatis, quæ cum ſit eſſentialiter appetitus rationalis, implicat quòd operetur ſine actu rationis prævio, juxta ea: *Nihil volitum, quin præcognitum*; & *Voluntas non fertur in incognitum*: intellectus verò econtra movetur tantùm a voluntate quoad aliquos actus, & non quoad omnes; unde intellectus in toto poſtea progreſſu humanarum operationum retinet prærogativam ſimpliciter prioris, ideoque eſt abſolutè regulativus, & activus voluntatis adæquatè.

Hinc

Hinc fit, quòd ipſa libertas voluntatis radicatur in propoſitione indifferenti intellectus, ideoque ipſa libertas voluntatis radicaliter, & cauſaliter, atque adeo perfectiori modo continetur in intellectu, quàm in voluntate; unde in natura rationali ſe habet intellectus adinſtar gubernatoris in civitate, & ducis in exercitu, voluntas verò tanquám civis, & miles; unde ſicuti rectus reipublicæ ordo eſt perfectiori modo in gubernatore, & duce, ita libertas eſt nobiliori modo in intellectu, quàm in voluntate.

His, & aliis rationibus compellentibus concludit meritò D. Thomas, quòd ſimpliciter, & abſolutè intellectus eſt potentia nobilior, quàm voluntas, huic enim ita imperat ille, ut actus voluntatis nequeat eſſe bonus, niſi recto rationis, ſeu intellectus imperio conformetur, quod etiam docuit Ariſt. lib. 2. Ethic. c. 6. & D. Auguſt. lib. 1. de libero arbitrio c. 8. Quòd ſi aliqui actus, & habitus voluntatis ſunt perfectiores, quàm quidam actus, & habitus intellectus, hoc non provenit ex perfectione majori potentiæ; ſed aliunde, ut ſuo loco oſtendemus. Ra-

Ratio nuncupatur ipſemet intellectus, quatenus ratiocinatione utens, aliud ex alio per diſcurſum elicit; ſicuti enim eſt ejuſdem potentiæ moveri ad terminum, & in termino quieſcere, ſic ad eandem potentiam intellectus ſpectat, ratiocinatione, veluti motu quodam, notitiam rei inquirere, & in rei notitia habita quieſcere; unde D. Auguſtinus lib. 3. ſuper Geneſim ad lit. c. 3. eandem animæ facultatem exprimit nomine intelligentiæ & rationis. Intelligentia tamen propriè & ſtrictè eſt actus, quo intellectus intelligit. Nihilominus a Philoſophis aliquando ipſa potentia intellectiva ut actu intelligens, intelligentia nuncupatur; ſicuti vocant intellectum in habitu potentiam intellectivam, quatenus eſt prædita ſcientia, ſed ea non dum utitur; & præterea, ut ſuperiùs dixi, vocant intellectum poſſibilem, cum tantummodo poteſt intelligere, ac denique intellectnm agentem, cum reducit ad actum intelligendo ipſum intellectum poſſibilem.

Superior, & inferior ratio quatenus de facultate intellectiva dicuntur, ſunt pariter ipſemet intellectus,

qui

qui prout res æternas contemplatur, & ex eis quaſdam regulas actionum humanarum deſumit, ratio ſuperior appellatur. Tunc vero dicitur ratio inferior, quando ipſemet intellectus decernit quid ſit temporaliter agendum, & hoc eſt quod ſignificavit D. Auguſtinus lib. 12. de Trinit. cap. 7. dicens: *Rationem ſuperiorem intendere rebus æternis conſpiciendis, aut conſulendis: rationem verò inferiorem intendere rebus temporalibus*; & eodem lib. cap. 4, ait: *Rationem ſuperiorem, & inferiorem non niſi per officia diſtingui*. Obſervetur tamen, quòd etiam aliquando cogitativa potentia ratio inferior appellari ſolet, prout ratiocinatur de particularibus propter conjunctionem, quam habet cum intellectu in homine. Tota etiam pars ſenſitiva dici ſolet pars inferior, prout imperio intellectus, & voluntatis ſubjecta eſt.

Synderesis non eſt aliqua potentia intellectiva, ut aliqui crediderunt, quia ut docet Ariſt. 9. Metaph. tex. 3. potentiæ rationales habent ſe ad oppoſita, ſynderesis autem eſt tantummodo de bono; eſt igitur potius habitus naturalis, quo intelle-

ctus

ctus cognoſcit prima principia practica; qui habitus propter affinitatem, & magnam ſimilitudinem, quam habet cum conſcientia, ſolet quandoque a Patribus conſcientia appellari, ſic Origenes lib. 2. in epiſt. ad Rom. ait: *Conſcientiam eſſe pædagogum animæ ſociatum*. Et D. Hieronymus in cap. 1. Ezechiel. inquit, *Scintillam conſcientię* quam *συνείδησις* Gręci vocant, *in Cain quoe, poſtquam ejectus eſt ex Paradiſo, non fuiſſe extinctam*. Conſcientia nihilominus differt a ſynderesi ſtrictè accepta, quia conſcientia propriè eſt applicatio ſcientiæ univerſalis practicæ ad aliquod particulare objectum, ſeu eſt dictamen rationis, quo judicamus quid nobis faciendum, vel non faciendum ſit.

Ariſtoteles lib. 3. de anima tex. 12. & 28. dicit quòd *Intelligere eſt quoddam pati, & moveri*: quæ verba quam habeant ſignificationem ſatis poteſt ex dictis conſtare, id enim dupliciter verificatur: primò concomitanter, quatenus intellectio, licet ſit actio immanens ab ipſo intellectu proficiſcens, tanquam a potentia vitali activa, tamen materialiter eſt

quæ-

quædam paſſio. Secundò cauſaliter: quia intellectionem antecedit quædam intellectus paſſio, qua neceſse eſt intellectum per receptionem ſpeciei intelligibilis objecti, fieri intentionaliter ipſum objectum; unde Averroes lib. 3 de anima comment. 5. dicit ex intellectu, & intelligibili fieri magis unum, quàm ex materia, & forma, quia materia recipiendo formam non dicitur fieri forma, intellectus autem informatus ſpecie intelligibili objecti fit intentionaliter ipſum objectum, & illius vice, & loco, concurrit ad intellectionem, ita ut verè dicatur pari notitia non ſolùm ex potentia, ſed etiam ex objecto, concurrente ſcilicet ad notitiam per ſpeciem vicariam ſui; unde ortum habuit celebre illud proloquium: *Ex objecto, & potentia paritur notitia tamquam ex mare, & fœmina*, quia intelligens ad intelligendum determinatur ſpecie, ut ſemine.

Hinc habetur, quòd tria ſunt, quæ magis immediatè cauſant perfectionem intellectionis. Primum eſt perfecta efficacia intellectus ad intelligendum. Secundum eſt perfecta conformitas ſpeciei intelligibilis cum

objecto repræſentato per illam. Tertium eſt perfecta conjunctio ſpeciei intelligibilis cum intellectu.

Memoria intellectiva eſt ipſe intellectus poſſibilis, quatenus conſervat ſpecies rerum præteritarum, & poteſt earum meminiſſe etiam quatenus præteritæ ſunt, nam ut cum Ariſtotele lib. de memoria, & reminiſcentia docet Scotus in 4. diſt. 45. q. 3. recordamur nos cogitaſſe, triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, quod cogitare, & meminiſſe non poſſumus niſi per intellectum. Nec obſtat, quòd intellectus videatur non poſſe cognoſcere directè præterita, quia ratio præteriti cum ſit quædam differentia temporis, eſt quid materiale ſingulare, intellectus autem nequit directè cognoſcere materialia: non obſtat inquam hoc, quia quamvis ratio præteriti, ut eſt quædam differentia temporis, ſit quid materiale, quatenus eſt quædam pars motus rei materialis, tamen hoc quod eſt rem eſſe præteritam, ideſt rem extitiſſe in præterito tempore, formaliter ac propriè non eſt quid materiale, cum etiam hic ordo ad tempus præteritum

tum conveniat rei immateriali, atque adeo, etiam admiſſo quòd intellectus non poſſit cognoſcere rem ſingularem materialem, non tamen propterea negandum eſſet, poſſe cognoſcere, & memorare rem ſingularem præteritam, ut præterita eſt; unde etiam animæ a corpore ſeparatæ præteritorum recordantur, & patet Lucæ 16. *Fili recordare quia recepiſti bona in vita tua*. Non eſt nihilominus memoria intellectiva tam propriè memoria, ſicuti eſt potentia illa reſidens in parte ſenſitiva, quæ communiter memoria nuncupatur, cujus formale objectum eſt res præterita, ut præterito tempore ſenſu aliquo percepta fuit, ſed res præterita ut quid ſingulare materiale eſt, cum objectum formale intellectus ſit per ſe primò verum univerſale, quod abſtrahit ab omni tempore; juxta quam doctrinam dixit Ariſtoteles libro de memoria, & reminiſcentia cap. 1. *Memoriam intellectivi quidem ſecundùm accidens eſſe, per ſe autem primi ſenſitivi*.

Facilè intelligitur ex dictis, quòd in intellectu actu intelligente quatuor conſideranda ſunt. Primum eſt

ipſe intellectus, qui eſt potentia cognoſcitiva veri in tota ſua univerſalitate, atque adeo habet pro objecto adæquato verum ut ſic. Secundum eſt ſpecies impreſſa, quæ confortat intellectum, & ipſum complet in ratione principii proximi ad intelligendum. Tertium eſt ipſa intellectio, qua intellectus actu ſuum objectum attingit. Quartum eſt ſpecies expreſſa, quæ eſt terminus intrinſecus intellectionis, quia per illam producitur; appellatur etiam *objectum internum*, quia gerit vices objecti externi, quod intellectus in ipſa contemplatur. Dicitur etiam *verbum mentis*, quia ſicuti per verbum oris noſtros manifeſtamus conceptus, ita per ſpeciem expreſſam, ſeu imaginem velut ore intellectuali productam, intellectus ſibimetipſi loquitur, & manifeſtat objectum cognitum.

QVÆ-

QVÆSTIO VII.
De voluntate, & ejus libertate.

HVmana voluntas eſt appetitus rationalis, quo bonum actu elicito proſequimur. Dicitur *Appetitus rationalis*, quia nequit tendere in bonum, niſi prius hoc ſit a ratione appræhenſum, & ipſi propoſitum, unde Ariſtoteles lib. 3. de anima tex. 42 ait, *voluntatem eſſe in ratione*. Propter hoc tam latè patet objectum voluntatis, quàm rationis, cum ferri poſſit in omne ens ab intellectu cognitum ſub ratione boni. Hinc habet voluntas moveri ab intellectu, non effectivè, neque imprimendo aliquid, ſed tantùm proponendo objectum, a quo objecto propoſito per intellectum, actus voluntatis ſpeciem ſortitur. Ad bonum in communi, naturaliter, & neceſſariò movetur voluntas, cum non poſſit ferri extra ſphæram proprii objecti: ad bona verò particularia, ſcilicet ad hoc, & illud ſe liberè movet, cum in ejus libertate ſit hoc, vel illud eligere, & non eligere. Quatenus fertur in bonum in communi, dicitur

neceſſitata quoad ſpecificationem: quatenus verſatur circa bona in particulari dicitur libera quoad exercitium; unde D. Thom. 1. par. quæſt. 82. art. 1. ad 1. inquit: *Neceſſitas naturalis non aufert libertatem voluntatis*: quia etiam ſtante illa neceſſitate circa rationem boni ut ſic, remanet perfectè libera in electione boni in particulari.

Voluntarium, ſeu ſpontaneum definitur ab Ariſt. 3. Ethic. c. 1. *Cujus in ſe principium continet iſ, qui ſcit res ſingulas, in quibus actio verſatur*. Quod clariùs explicans D. Thom. q. 6. art. 1. definit. *Voluntarium eſt, quod eſt ab intrinſeco cum congnitione finis*.

Ad rationem igitur voluntarii, duo conjunctim requiruntur. Primum eſt, ut procedat ab intrinſeco, quod eſt commne cuilibet actioni vitali. Secundum eſt, ut per ſe, & formaliter denpendeat a præcognitione finis, ad quem ordinatur.

Poteſt dupliciter præcognoſci finis. Primò materialiter, & imperfectè, ideſt tali cognitione, qua ſolum attingatur res, quæ habet rationem finis, non autem exprimatur conceptus formalis finis, comparando ipſum

ſum cum mediis, & expendendo proportionem eorundem inter ſe. Secundò perfectè, ideſt cum expreſſione conceptus formalis illius, & faciendo comparationem tum ipſius cum mediis, tum mediorum ad invicem. Præcognoſcere finem primo modo eſt commune homini cum brutis, quatenus homo aliquando operatur imperfectè ex prima appræhenſione boni convenientis. Præcognoſcere ſecundo modo eſt proprium hominis, rationaliter, & deliberatè operantis, quatenus utitur facultate ſibi peculiari comparandi objecta inter ſe per judicium, & deliberationem. Appetitiones, ſive a bruto, ſive ab homine irrationaliter operante productæ, dicuntur voluntariæ imperfectè. Appetitionibus verò ex præcognitione ſecundo modo facta, productis, ideſt propriè humanis competit ratio voluntarii perfecti.

Ex hac voluntarii explicatione, ſatis intelligitur, quòd involuntarium eſt illud, quod caret alterutra ex formalitatibus ad voluntarium requiſitis, videlicet quòd vel non eſt ab intrinſeco, ſed adæquatè pro-

cedit a cauſa extrinſeca; vel non procedit a cognitione finis, quam præhabeat cauſa. Quòd ſi operationi conveniat partim eſſe ab intrinſeco, & partim ab extrinſeco; aut partim adeſſe, & partim non adeſſe cognitionem finis, operatio eſt partim voluntaria, & partim involuntaria, daturque voluntarium mixtum involuntario, eo modo, quo, ſi aqua ſit partim frigida, & partim calida, datur mixtum ex frigido, & calido, quod tepidum dicitur; unde ſi compellatur homo per violentiam, vel metum non naturalem, ſeu ab extrinſeco incuſſum aliquid agere, vel ſi erumpat in operationem ex concupiſcentia, vel ignorantia, quæ opponuntur perfectioni cognitionis, qua regulatur voluntas ad operandum, operatio erit involuntaria; & quidem ſi nulla adſit voluntatis cooperatio, ſeu inclinatio, vel omnino deſit cognitio objecti, & mediorum, erit operatio involuntaria totaliter, ſi vero adſint iſta ſecundùm quid, & imperfectè, erit involuntaria ſecundùm quid, ſeu mixta ex voluntario, & involuntario.

Quo-

Quoniam verò humana voluntas poteſt habere actus tum neceſſarios, tum liberos, & in utriſque, quatenus vitales ſunt, ſalvatur quòd ſint ab intrinſeco, quatenus verò procedunt a formali præcognitione finis, & ſunt inclinatio rationalis in bonum præcognitum formaliter, ſalvatur formalis dependentia eorundem a formali præcognitione boni, ad quod ordinantur, ſic amor Dei in beatis eſt actus ab intrinſeco, quia vitalis, & eſt inclinatio rationalis in bonum ſeu finem formaliter præcognitum, præcognitione clara, & diſtincta, ſimulque eſt actus neceſſarius, in viatoribus verò idem amor eſt actus liber, & in utriſque eſt perfectè voluntarius, fit propterea ut rectè dividatur voluntarium in liberum, & neceſſarium; ita ut in actibus humanis, ſive ſint liberi, ſive ſint neceſſarii, ſalvetur ratio perfecta voluntarii, dummodo habeant duas illas formalitates ad voluntarium requiſitas.

In qualibet natura rationali ſunt perfectiores ex genere ſuo actus neceſſarii actibus liberis, & illi ſunt horum principium, ut patet in Deo,

 cujus

cujus actus circa ſe ipſum ſecundùm ſe eſt neceſſarius, & perfectiſſimus, & eſt virtuale principium terminationum liberarum; quare etiam in humana natura voluntarium neceſſarium eſt ex genere ſuo abſolutè perfectius, quàm voluntarium liberum. Ratio eſt, quia illud prædicatum eſt ex genere ſuo perfectius, cujus ſuprema ſpecies præeminet perfectione omnibus ſpeciebus, quæ ſub altero prædicato ſibi oppoſito continentur: ſed ſuprema ſpecies voluntarii neceſſarii, quæ eſt amor beatificus, præeminet perfectione omnibus ſpeciebus contentis ſub ratione voluntarii liberi; ergò voluntarium neceſſarium eſt ex genere ſuo abſolutè perfectius voluntario libero. Dixi *ex genere ſuo*, quia ſi conſideretur voluntarium reſpectu hominis, qua viator eſt, perfectius eſt voluntarium liberum, quàm neceſſarium, quia reſpectu viatoris qua viator eſt, perfectius eſt illud, quod immediatè perducit ad vitam æternam, quàm quodvis aliud; ſed actus liber charitatis perducit immediatè viatorem ad vitam æternam, & indubitatum eſt eſſe perfectiorem cæteris actibus

ejuſ-

ejuſdem viatoris; ergò voluntarium liberum in viatore perfectius eſt neceſſario.

Quæres I. An metus cauſet involuntarium.

Reſp. Quotieſcumque homo operatur ad vitandum aliquod malum imminens difficile vitatu, dicitur operari ex metu, propterea cum D. Thoma definiunt communiter Philoſophi metum ſic: *eſt fuga mali futuri difficulter vitabilis*.

Duplex eſt metus, alius per ſe, ſeu naturalis, alius per accidens, ſeu innaturalis, & violentus. Metus per ſe hominem afficiens eſt qui provenit a cauſis, quas eſt conforme appetitui noſtro innato exiſtere, & talem metum incutere, cui metui propterea meliùs nobis eſt ſubeſſe, quàm non ſubeſſe, ut eſt metus pœnarum ex tranſgreſſione legum juſtarum, quæ tali metu impellunt nos ad operationes honeſtas, quæ nos ad beatitudinem ducunt, quæ noſtro naturali appetitui maximè conformis eſt; metus amittendi ſanitatem corporis per exceſſum cibi, a quo exceſſu propterea inclinat natura, ut deterreamur. Metus per accidens, ſeu

innaturalis, & violentus eſt, qui incutitur a cauſis, quas exiſtere, ut incutientes talem metum, contrariatur appetitui noſtro innato, ac proinde nobis melius eſt non ſubeſſe illi, quám ſubeſſe e g. melius, & conformius foret noſtro appetitui innato, ut non eſſet tempeſtas, quæ per metum naufragii compellit ;nos projicere merces: ut non eſſent latrones, qua tales, qui metu nos occidendi compellunt amittere pecunias, &c. nam hi, ſimileſque metus imponunt nobis neceſſitatem amittendi unum ex duobus bonis, quæ poteramus ſimul honeſtè retinere, ac proinde contrarientur innato appetitui noſtro ad bonum poſſidendum.

Iam ad propoſitam difficultatem dico, quòd metus per ſe, ſeu naturalis nullo modo cauſat involuntarium, atque adeo quæ ex tali metu procedunt, ſunt abſolutè, & ſimpliciter voluntaria. Ratio eſt quia actus procedens ex tali metu eſt elicitus cõformiter ad naturalem inclinationem ſubjecti, cui ineſt, & non impedit, nec minuit metus cognitionem prælucentem ipſi actui; ergò eſt omnino ab intrinſeco, & cum perfecta

cogni-

cognitione, atque adeo eſt ſimpliciter, & abſolutè voluntarius. Metus vero per accidens facit, ut actus ſit partim voluntarius, & partim involuntarius, cum tanto tamen exceſſu voluntarietatis, ut poſſit meritò dici ſimpliciter voluntarius, & ſecundùm quid involuntarius. Ratio eſt, quia operans ex hoc metu vult ſuam operationem prout, eſt hic & nunc, ſeu in præſentibus circumſtantiis a parte rei, & ſolùm eam nollet, ſi non eſſet in his circumſtantiis, unde abſolutè vult, & ſolùm conditionatè nollet, ſcilicet ſi non darentur illæ circumſtantiæ: e. g. qui dat pecunias latronibus metu amittendi vitam abſolutè vult dare pecunias, ut in his circumſtantiis vitam ſervet, & ſolùm nollet dare pecunias, ſi non eſſet in eo periculo vitæ: ſed quia abſolutè vult, & ſolùm conditionatè nollet, facit actum ſimpliciter volitum, & non ponit in eſſe illam nolitionem, quam tantùm conditionatè reſpicit, juxta illud, *Conditio nihil ponit in eſſe*; ergò actus quoad voluntarietatem habet ſimpliciter eſſe; quoad involuntarietatem habet tantùm conditionatè eſſe;

ergò

ergò eſt in ipſo magna voluntarietas, & parva involuntarietas, & conſequenter dicendus eſt ſimpliciter voluntarius, & ſolùm ſecundùm quid involuntarius; quidquid enim volumus efficaciter, magis volumus, quàm nolumus. Ineſſe autem tali actui aliquam involuntarietatem ſaltem per denominationem extrinſecam, patet ex eo, quòd actus procedens ex tali metu, habet originem ex violentia, per quam neceſſitatur homo amittere unum ex duobus bonis, quæ ſimul honeſtè retinere poſſet, & ad quæ conjunctim retinenda inclinat; ergò eſt aliquo modo contra inclinationem, atque adeo aliquo modo involuntarius.

Quæres II. Vtrum concupiſcentia cauſet involuntarium?

Reſp. concupiſcentiam non cauſare involuntarium, nec minuere voluntarium, imo illud augere. Ratio eſt, quia quæ fiunt ex concupiſcentia fiunt cum maxima inclinatione ſubjecti, ſeu ab intrinſeco, & ex prævia cognitione formali bonitatis deſideratæ, quæ eo vehementiùs concupiſcitur, quo magis cognoſcitur: ſed quæ ita fiunt ſunt maximè voluntaria, cum habeant perfe-

ctiſſimè omnia requiſita ad voluntarii undequaque perfecti conſtitutionem; ergò ſunt ex omni parte voluntaria. Confirmatur, quia ſigna alicujus involuntarii ſunt dolor, & triſtitia in operando, juxta illud: *qui violenti, invitique agunt, hi cum dolore*; ſed quæ fiunt ex concupiſcentia, non ſolùm fiunt ſine dolore, & triſtitia, ſed potiùs cum delectatione, & gaudio; ergò ſunt potiùs abundantiùs voluntaria, & nullo modo involuntaria. Hinc Ariſtoteles lib. 3. Ethic. c. 1. ait, *Si quis jucunda* (ideſt quæ fiunt ex concupiſcentia) *violenta eſſe dixerit* (ideſt involuntaria) *ejus ſententia erit violenta*.

Quæres III. Vtrum ignorantia cauſet involuntarium.

Reſp. Ignorantia reſpectu voluntatis alia eſt antecedens, & alia conſequens. Antecedens dicitur, quæ antecedit omnem voluntatem, quæ circa ipſam ſit, ſeu quæ nullo actu voluntatis eſt volita, ſive implicitè, ſive explicitè, ſive directè, ſive indirectè, ut ſi quis in venando putet occidere feram, & occidat hominem, quem nec ſuſpicari potuit latere in ſilva, hic occidit ex ignoran-

tia

tia antecedente, qua nec formaliter, nec virtualiter hominis occiſionem intendit. Ignorantia conſequens dicitur, quæ aliquo modo conſequitur ad aliquem actum voluntatis, ſeu quæ aliquo pacto eſt volita. Poteſt autem hæc eſſe volita duplici modo. Primo directè, ut cum quis vult ignorare legem, ut liberiùs peccet; & hæc dicitur affectata, ideſt, de induſtria volita. Secundo indirectè, nempe quando non eſt volita in ſe ipſa, ſed in quadam voluntaria negligentia ſciendi ea, quæ homo advertit ſe debere noſſe, & hæc ignorantia dicitur craſſa, quia naſcitur ex ſocordia, qua craſſi, & pingues torpere ſolent. Dicitur etiam ſupina, quia ſolet eſſe in illis, qui ſupini jacent, & non vident etiam ea, quæ coram ipſis ſunt poſita. Dicitur quoque vincibilis, quia adhibita debita diligentia poteſt vinci, ſeu deponi. Denique reſpectu operis datur alia ignorantia, quæ dicitur comitans, & eſt cum quis ignoranter ponit opus, quod tamen poſuiſſet, etiamſi ignorantiam illam non habuiſſet, ut cum venando occidit hominem putans eſſe feram, ſed eſt ita animo diſpoſitus

tus

tùs, ut occidiſſet, etiamſi ſciviſſet eſſe hominem.

Hac explicatione præmiſſa, facilis eſt ad quæſtionem reſponſio, nam ignorantia antecedens facit, ut opus ſit omnino involuntarium ſecundùm illam rationem, & circumſtantiam, ſecundùm quam ab ipſa procedit; quia tale opus nec eſt volitum directè, ſeu in ſe ipſo, nec indirectè, ſeu in ſua cauſa, nempe in ipſa ignorantia, & ideo eſt non voluntarium. Quatenus verò voluntas eſt ita diſpoſita, ut ſi ſciret, nollet ponere, & cum poſtea ſcit, triſtatur, eſt implicitè contra ejuſdem voluntatis inclinationem, ideſt involuntarium. Ignorantia comitans nullum cauſat involuntarium, ſeu violentum, aut invitum, quia qui cum illa operatur, non agit contra ſuam inclinationem, etiam implicitè. Opus tamen ab illa procedens, non eſt voluntarium ſecundùm rationem objecti ignoratam, quia *nihil volitum, quin præcognitum*. Ignorantia conſequens ſi non ſit affectata, facit actum ſimpliciter voluntarium, & ſecundùm quid involuntarium. Ratio eſt, quia qui abſolutè, & ſimpliciter vult

cau-

cauſam alicujus effectus, vult etiam abſolutè, & ſimpliciter illum effectum, ergò qui vult ignorantiam, quæ eſt cauſa operis, abſolutè & ſimpliciter vult etiam ipſum opus; ergò quod fit ex ignorantia conſequenti non affectata cum ſit volita ſimpliciter & abſolutè ejus cauſa, eſt etiam ipſum ſimpliciter & abſolutè volitum, ſeu voluntarium.

Quia tamen operans hoc pacto eſt ita animo affectus, ut ſi ſciret, nollet facere, & triſtatur cum ſcit quod fecerit, ſaltem ex parte involuntariè operatur.

Si vero ignorantia conſequens ſit affectata, ut liberius operetur ideſt, ne ſciendo avertatur ab opere, quod meditatur, licet phyſicè minuat voluntarium, tamen moraliter non minuit, ſed potiùs auget. Ratio eſt, quia etſi phyſicè opus illud, quod fit ex hac ignorantia, non ſit ita expreſſe volitum, ac ſi eſſet volitum in ſe ipſo, quia ignorantia occultat operis conditionem, dum fit; tamen illud opus fuit antea directè volitum in genere, quando ut liberius operaretur, voluit ignorare, & quidem adeo ardenter fuit volitum, ut potius

tiùs voluerit ſe privare ſcientia, quàm delectatione intenta per illud, unde ex vi majoris voluntatis factum eſt: patet autem cenſeri magis voluntarium opus, quando ex vi majoris voluntatis ponitur; atque adeo potiùs in hoc caſu augeri, quam minui voluntarium.

At ſi ignorantia affectata ſit ſolùm, ne ſubeat moleſtiam, & laborem diſcendi, aut ob cupiditatem operandi conjunctam cum voluntate abſtinendi a tali opere, ſi sciret eſſe malum, ut cum quis contracto matrimonio dubitat an contraxerit cum impedimento illud irritante, & non vult ulteriùs inveſtigare, ne teneatur a matrimonio recedere: in his caſibus ignorantia facit, ut opus ex parte ſit minùs voluntarium, quià efficit, ut non ſit directè volitum, dum occultat operis conditionem; imò facit ut aliquo modò ſit involuntarium, quia ignorantia eſt cauſa, ut fiat id, quod aliquo modo voluntati diſplicet.

Voluntatem humanam carere omnino libero arbitrio, & ad omnes ſuas operationes impelli neceſſitate quadam, putarunt Manichæi ut refert

fert D. Auguſtinus lib. de hæreſibus cap. 46. Vviclefus, ut patet ex ſeſſione 8. Concilii Conſtantientis art. 27. Luterus in aſſertione ſuorum articulorum art. 36. & Calvinus, qui lib. 2. Inſtit. cap. 2. ſect. 4. docet, quòd in Eccleſia ne quidem vox liberi arbitrii ferenda eſt. Luterus tamen poſtea in Viſitatione ſaxonica, & Melancthon in Apologia confeſſionis auguſtanæ art. 16. Chemnitius in examine ſeſſionis 6. Concilii Tridentini cap. 5. & can. 4. 5. & 6. docuerunt ineſſe homini liberum arbitrium ad actiones quidem civiles, & externas, quæ ad communem hominum ſocietatem ſpectant, non verò ad actiones ſpirituales, ſeu ſalutares, ad quas ſe habet merè paſſivè, quia ſolus Deus eas in animo humano efficit. Pelagiani in alterum declinarunt extremum, quia crediderunt ineſſe homini liberum arbitrium tam validum, ut per ſolas ſuas vires naturales ſufficiat, ad omnes omnino actiones ſalutares efficiendas, ac proinde Divinam gratiam non eſſe ad eas neceſſariam, ſed ſolum eſſe utilem, ut meliùs fiant.

Liber-

Libertas, ſeu potentia libera libertate indifferentiæ eſt illa, *quæ poſitis omnibus requiſitis ad agendum, poteſt agere, & non agere*. Hanc potentiam ineſſe homini ſuadetur ratione ſic. Primò quia omnibus nationibus unanimis inſtinctus a natura inditus eſt, ut ſtatuerent leges de præmiis bonorum operum, & pænas propter opera mala, & ut advertit Philoſophus 3. Ethic. c. 5. tales leges non ſolùm promiſerunt præmia, & minatæ ſunt ſupplicia, antequam fiant actiones, ſed contulerunt, & conferunt præmia propter bonas, ſuppliciaque inferunt propter malas, poſt quàm executioni jam demandatæ ſunt: ſed hæc inſipienter fierent, ſi homines ſine libertate, ſeu neceſſariò operarentur; quia præmium de ſua natura promittitur ad alliciendos homines ad illam honeſtatem, quam non propoſito præmio facilè omitterent, & pænæ oſtenduntur ad hoc, ut abſtineant ab inhoneſto, quod præciſo pænarum metu, facile eligerent. Similiter dantur præmia, quia homines patrarunt illud laudabile, quod potuiſſent non patrare, & pariter pænæ inferuntur, quia patrarunt

runt ſcelera, a quibus debebant abſtinere: ſed hoc totum eſſet falſum, & ſtultè inſtitutum, ſi non eſſet in illis potentia libera ad bene, & male agendum, ſeu ad agendum, & non agendum; ergò ineſt hominibus talis potentia, quæ eſt libertas. Secundò apud omnes nationes diverſimodè laudatur homo propter operationem honeſtam, ac brutum e. g. equus propter velocitatem curſus: nam homo laudatur, quia operando honeſtè fit bonus, non autem quia præcisè erat bonus ante talem operationem. Equus vero, quia velociter currendo manifeſtat bonitatem, quæ in ipſo præexiſtebat antequam curreret: ſed hoc diſcrimen totum fundatur in eo, quod homo liberè operatur bonum, & ideo bonus fit operando, equus verò non ita, ut eſt manifeſtum, ergò ineſt homini libertas. Tertio quia dantur prudenter reſpectu hominis conſilium, & correctio: ſed conſilium ne ſit imprudens, & fruſtraneum, ſupponit in eo, qui illud recipit, poteſtatem agendi, vel omittendi actionem contrariam: correctio pariter ne ſit inepta, ſupponit correptum potuiſſe

aliter

aliter facere, alioquin ſtultè corriperetur aliquis de actione, quam non potuit omittere, & ſufficienter ſe excuſaret, ſi diceret, *Non potui aliter facere;* ergò tam conſilium quàm correctio ſupponunt, & manifeſtiſſimè oſtendunt ineſſe homini libertatem. Mitto alia multa argumenta, quæ in hanc rem afferri poſſent, quia luce clarius puto, hominem eſſe libero arbitrio præditum.

Pro coronide hujus quæſtionis advertite, quòd intellectus, & voluntas humana ſolent aliquando ſignificari nomine cordis, ut in illo Pſalmi *Scrutans corda, & renes Deus*, quia ſicuti in animali cor eſt primum principium motus, a quo reliqui corporales motus pendent, ita in anima rationali intellectus, & voluntas ſunt primum principium operationum rationalium, & ſicuti cor in animali occultum eſt, ita intellectus, & voluntatis affectiones occultę ſunt, ac propterea occulta cordium nuncupantur.

QVÆ-

QVÆSTIO VIII.

Vtrum occulta cordis humani cognoſcantur a Dæmone.

SVpponendum eſt humani cordis cogitationes cognoſci clarè a Deo, quia Deus eſt, nam Deo debetur cognitio perfectiſſima omnium entium, quia Deus alioquin ſi vel unum minimum ens ignoraret, aut non clarè cognoſceret, pateretur hoc ipſo defectum in ſua ſcientia, cum defectus ſit ſcientiæ non cognoſcere omnia, vel ſi cognoſcantur, non cognoſcere clarè: pati autem defectum in ſcientia eſt non habere ſcientiam perfectiſſimam, atque adeo eſſe ens defectuoſum, quod idem eſt, ac non eſſe Deum; ergò Deo, quia Deus eſt convenit clarè cognoſcere omnia entia, atque adeo etiam in anima, ſeu occulta cordium. His poſitis.

Dico cogitationes cordis humani non cognoſcit clarè, & certò Dæmon, ſed ſolùm conjecturaliter.

Prob. quia intellectus Dæmonis de ſe cognoſcit ſolùm per ſpecies ſibi congenitas, quæ ſunt ordinis. natu-

naturalis: ſed ſpecies ordinis naturalis non poſſunt repræſentare cogitationes cordis humani; ergò non poteſt de ſe Dæmon illas certò, & evidenter cognoſcere. Min. probatur, quia nullum inferioris ordinis continet, ac proinde nec repræſentat res ordinis ſuperioris: ſed ſpecies ordinis naturalis ſunt in ordine inferiori ad cogitationes cordis humani, quia hæ ſunt in ordine liberorum, qui medius eſt inter naturale, & ſupernaturale; ergò ſpecies ordinis naturalis non poſſunt repræſentare cogitationes humani cordis, atque adeo Dæmon eas per hujuſmodi ſpecies certò, & clarè cognoſcere non poteſt; unde Reg. 8. 39. dicitur de Deo: *Tu ſolus noſti cor omnium filiorum hominum*. Et Paralip. 6. 30. *Tu enim ſolus noſti corda filiorum hominum*.

Quòd verò Dæmon cognoſcat conjecturaliter certis indiciis compertum eſt. Fit autem id præcipué per aliqua corporalia ſigna, ut cum ex interioribus affectionibus in aliquam homo paſſionem inducitur, quæ ſi fuerit vehemens etiam in apparentia exteriori præbet indicium affectionis interioris: ſimiliter ſi palleſcit ho-

mo, ut faciunt timidi, ſi erubeſcat, ut faciunt verecundi, &c. Denique cum non rarò homo cogitans interiùs proferat aliqua externa ſigna eorum, quæ habet in corde, tunc Dæmon conjecturaliter ex illis ſignis deprehendit ſecreta cordis, ſicuti etiam aliquando conjecturaliter ex iiſdem deprehendi ſolent ab alio homine illa ſigna obſervante.

Ob. Poteſt oculus corporeus clarè videre omnia viſibilia ſibi præſentia; ergò & intellectus angelicus cognoſcere clarè omnia intelligibilia: ſed cogitationes cordis humani ſunt actu in natura, & intelligibiles; ergò eas clarè cognoſcit, præſertim cum certum ſit, quòd clarè cognoſcit ſpecies intelligibiles, quæ ſunt in humano intellectu, per quas, ſeu dependenter a quibus formantur ipſæ cogitationes. Rurſus cognoſcit Dæmon intellectum, & voluntatem humanam, quæ ſunt cauſæ cogitationum; ergò cognoſcit etiam ipſas cogitationes.

Reſp. Tranſeat antecedens, & diſtinguo conſequens, poteſt cognoſcere omnia intelligibilia ſibi proportionata, ideſt, ordinis naturalis,

con-

concedo; non proportionata, ideſt ordinis liberorum, nego. Ad confirmationem diſtinguo: cognoſcit ſpecies, quæ ſunt in humano intellectu, ſecundùm entitatem, & quoad res repræſentatas concedo; quoad uſum, & actualem determinationem earum, nego. Poſſunt illæ ſpecies dupliciter conſiderari, primò materialiter, & quoad ipſarum entitatem, ac quoad objecta per ipſas repræſentata, & ſecundùm hoc ſunt quid ordinis naturalis, & proportionatum intellectui angelico, qui eſt facultas naturalis, ac propterea ab ipſo cognoſcuntur, cum præſertim dum ſumus in hac vita, quidquid cognoſcit intellectus, cognoſcat per converſionem ad phantaſmata, quæ Angelus clarè cognoſcit, & ita videt quando, quoties, & quid phantaſietur homo. Secundò conſiderari poſſunt formaliter, ſeu quoad uſum, & actualem determinationem, qui uſus eſt intelligere, & conſequenter velle hoc potiùs determinatè, quàm aliud de illo objecto per ſpecies repræſentato, ſecundùm quam rationem ſunt in ordine liberorum, qui ordo ſuperat ordinem naturalem: cum ergo

circa objectum per ſpecies repræſentatum poſſit multiplex, & varius eſſe usus, plura enim ſunt, quæ de illo cogitare poteſt homo; hunc uſum non attingit Angelus, quia cum ſit ordinis ſuperioris, non eſt illi proportionatus. Ad aliam confirmationem diſtinguo antecedens, cognoſcit Dæmon intellectum, & voluntatem humanam ſecundùm naturalia concedo, ſecundùm libera nego; nam ſecundùm liberum exercitium operandi anima ſoli Deo, & ipſi homini cogitanti innoteſcit, quare niſi Dæmon, vel ab ipſo Deo, vel ab homine, cujus ſunt ſecreta cordis, notitiam accipiat, nequit ea certò cognoſcere.

Inſtabis. Iuxta hanc doctrinam ſequeretur, quòd Dæmoni eſſent etiam ignota omnia, quæ a Deo creata ſunt, ſicuti, & noſtri actus exteriores, nam hi cum ſint ex imperio voluntatis, ſunt liberi, & illa cum producta ſint a libera Dei voluntate, ſunt pariter in genere liberorum.

Reſp. Negando ſequelam. Non enim ſequitur primum, quia licèt omnia creata producta ſint liberè a Deo, nihilominus producta ſunt, ut

ut eſſent partes univerſi, & ut integrarent naturalem mundi ordinem, ac proinde in ordine naturalium poſita ſunt. Non ſecundum, quia actus noſtri exteriores licet voluntarii, non pendent tamen a ſola voluntate, ſed etiam ab organis corporeis, per quæ exercentur, quæ organa, cum ad ordinem naturalem pertineant, faciunt, ut & illi actus per ipſa exerciti in eodem ordine collocentur, & ſic ut naturales, ſint proportionati Angelo, ac proinde ab ipſo cognoſcantur. Econtra actus rationales interni ſiſtunt intra puros receſſus libertatis, atque adeo ſunt ſimpliciter in genere liberorum, & ita incogniti ſimpliciter Angelo.

Ex dictis colligitur, quòd cum in hominis anima conſiderari poſſint, & naturalia, qualia ſunt eſſentia, & proprietates naturales ipſius, & libera, qualia ſunt intellectus, & voluntaris operationes: quoad prima, cognoſcitur anima perfectiùs ab Angelo, quàm ipſa cognoſcat ſe ipſam, quia ſecundùm hoc eſſe naturale intellectus Angelicus ſuperior eſt humano, ac proinde magis vigoroſus, & proportionatus ad naturalia co-

gnoſcenda; & hoc eſt quod intelligunt cum D. Thoma, qui dicunt, Angelum intenſivè meliùs cognoſcere animam, quàm ipſa cognoſcat ſe ipſam. Quoad poſteriora, ſcilicet libera, anima meliùs ſe ipſam cognoſcit, quàm cognoſcatur a Dæmone, quia hic eam ſecundùm hæc cognoſcit tantùm conjecturaliter; ipſa verò ſemetipſam cognoſcit certò, & evidenter, & hoc eſt quod dicunt animam extenſivè ſe meliùs cognoſcere, quàm cognoſcatur a Dæmone.

QVÆSTIO IX.

De anima ſeparata a corpore.

AD plenam animæ rationalis notitiam aſſequendam, tria ſuperſunt declaranda. Primum eſt, an ſeparata a corpore intelligat. Secundum eſt, quomodo intelligat. Tertium eſt, quidnam tunc intelligat.

Ad primum dico, naturali ratione conſtat animas rationales a corpore ſeparatas intelligere. Ratio eſt, quia intelligere animæ eſt formaliter independens a corpore; ergò per hoc quòd anima ſeparetur a corpore, non privatur hujuſmodi operatione; quare

quare Cyrus moriēs apud Xenophontem, & Tullium libro de ſenectute inquit: *mihi nunquam peruſaderi potuit, tum animam eſſe inſipientem, cum ex inſipienti corpore evaſiſſet*: quia nimirum non raró unio ad corpus eſt animæ impedimento, ne res perſpicaciùs intelligat, ideoque non eſt credibile alligatam corpori multa intelligere, ſolutam veró a corpore carere intellectione.

Ad ſecundum dico, animam ſeparatam intelligere per ſpecies, partim quas acquiſivit in corpore, partim quas Deus ipſi infudit. Ratio eſt, quia tunc habet ſtatum ſimilem ſtatui naturali Angelorum; ergó ſicuti illi per ſpecies infuſas intelligunt, ita etiam anima. Ipſam tamen retinere etiam eas, quas in corpore acquiſivit oſtendimus ſupra. Vndè fit, ut in anima ſeparata maneant ſcientiæ humano ſtudio acquiſitæ, manent inquam tam quoad habitum, quàm quoad actum, ſeu uſum ipſarum, nam talis uſus non pendet eſſentialiter quoad ſuam rationem ſpecificam a miniſterio phantaſmatum, ſed ſolum quoad modum pro ſtatu hujus vitæ.

Ad tertium dico, quòd anima ſeparata intelligit perfectè alias animas, quia non ſunt naturæ altioris ſe, atque adeo ad illas habet perfectam proportionem, & hujuſmodi intelligentia maximè decet illum ſtatum, in quo cum habeat modum exiſtendi ſimilem Angelo, par eſt etiam, ut habeat modum operandi ſimilem eidem, ipſos verò Angelos intelliget ſolùm imperfectè, quia cum Angeli ſint naturæ altioris, eos nequit perfectè attingere, cum ſit ipſis imperfectè proportionata. Reliquarum rerum naturalium, probabile eſt animam intelligere perfectè illas tantùm, quæ peculiariter pertinent ad ſuum ſtatum, & ad quas dum in corpore eſſet, habuit peculiarem habitudinem, affectionem, vel neceſſitudinem aliquam, quia naturaliter eas ſcire deſiderabit, & cum non ſit veriſimile quòd tale deſiderium, futurum ſit in illis fruſtraneum, probabile eſt, quòd eas perfectè intelliget. Non ſcient tamen animæ ſeparatæ perfectè naturaliter res omnes, quia ex nullo capite talis cognitio ipſis debetur; unde dixit D. Auguſtinus libro de cura pro mortuis agen-

da

da cap. 15. *Defuncti per naturam propriam vivorum rebus intereſſe non poſſunt*. Plurima nihilominus ſcient, ſi in Divina gratia decedentes, Deum ipſum facie ad faciem intueri aſſequentur, in quo omnium bonorum poſſeſſione ditati, nihil ultra erit, quod ſcire deſiderent, juxta illud D. Gregorii lib. 12. Moral. cap. 13. *Quæ intus Omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum eſt, quod ſit foris aliquid, quod ignorent*. Vtinam nobis, qui nunc per ſpeculum in ænigmate ineffabilem illam Veritatem contemplamur, detur aliquando eam cognoſcere ſicut cogniti ſumus, & quod nunc per mundanam creaturam inveſtigamus bonum, in æternum poſſidere gaudeamus.

FINIS.

AP-

APPROBATIONES

ADm. Rev. D. Ioannes Fœlix de Carlieris Canonicus Inſignis Collegiatæ S. Laurentii complaceat legere attentè, & diligenter hunc librum, cui titulus eſt *Coſmus Philoſophicus*, ſeu *Ariſtotelicæ Philoſophiæ univerſalis explanatio*, & recognoſcat an adſit aliquid adverſum S. Fidei Orthodoxæ, & bonis moribus abſonum, & referat. Datum hac die 25. Iulii 1691.

Nicolaus de Caſtellanis Vic. Gen. Flor.

QVartam hanc Philoſophici Coſmi, ſeu Ariſtotelicæ Philophiæ univerſalis partem, qua majori potui attentione luſtravi, & adeo immunem reperi ab eo, quòd S. Fidei Orthodoxæ, vel bonis moribus adverſetur, ut de illa æquè dici poſſe credam, quod de S. Hilarii libris S. Hieronymus ad Lætam: inoffenſo decurrat pede. *Eandem inſuper admiratus facilitatem cum brevitate conjunctam in ſecretioribus Philoſophiæ arcanis aperiendis, quam olim eiuſdem Auctoris auditor ſtupebam, ad*

bene

bene ſtudioſam juventutem informandam, juſtiſſimum cenſeo, ut in lucem edatur. Dat. Flor. 3. Non. Auguſti.

Ioannes Fœlix de Carlieris.

Imprimatur attenta ſupradicta relatione 3. Auguſti 1691.

Nicolaus de Caſtellanis Vic. Gen. Flor.

ILluſtriſſimus Dominus Advocatus Auguſtinus Coltellini, Conſultor hujus S. Officii poſt quadraginta annos Iubilatus diligenter examinet hunc librum, cui titulus, *Coſmus Philoſophicus*, &c. & ſi aliquid contra S. Fidem, bonoſque mores repererit referat. Datum in S. Off. Flor. die 4. Auguſti 1691.

Fr. Ludovicus Petronius Min. Con. Vic. Gen. S. Off. Flor.

Reverendiſſime Pater D.

IN continuatione examinis operum doctiſſimi Viri, in propoſito conſtantis de levandis tyronibus a moleſto ſcriptionis onere, nactus propterea occaſionem, qua nihil contingere potuit optabilius; nam cum Pomponio diſcendi cupiditate, quam ſolam vivendi rationem optimam in octavum, & ſeptuageſimum annum ætatis duxi: memor

ſum

ſum ejus ſententiæ, qui dixiſſe fertur: *Et ſi alterum pedem in tumulo haberem, non pigeret aliquid addiſcere, præſertim a tam probato Auctore, qualis eſt Dominus Fridericus Giannettus; in cujus opere mihi commiſſo nihil invenitur a Sancta Romana Eccleſia diſſonum*: *et ideo ad publicam utilitatem imprimendum cenſeo. Die decima tertia Auguſti ſubſcripſi.*

Auguſtinus Coltel. Conſult. & librorum Cenſor poſt 40. annos emeritus, mea manu, &c.

Attenta ſuprapoſita atteſtatione imprimatur. Dat. in S. Off Flor. die 14. Auguſti 1691.

F. Ludovicus Petronius Min. Con. Vic. Gen. S. Off. Flor.

Robertus Pandofinius Senat. Sereniſſimi M. Ducis Aud.

2550390 A

BNCF
B. 12. 6. 183
CF 0 0 2 5 5 0 3 9 0
Google

ſum ejus ſententiæ, qui dixiſſe fertur: *Et ſi alterum pedem in tumulo haberem, non pigeret aliquid addiſcere, præſertim a tam probato Auctore, qualis eſt Dominus Fridericus Giannettus; in cujus opere mihi commiſſo nihil invenitur à Sancta Romana Eccleſia diſſonum*: *et ideo ad publicam utilitatem imprimendum cenſeo. Die decima tertia Auguſti ſubſcripſi.*

Auguſtinus Coltel. Conſult. & librorum Cenſor poſt 40. annos emeritus, mea manu, &c.

Attenta ſuprapoſita atteſtatione imprimatur. Dat. in S. Off Flor. die 14. Auguſti 1691.

F. Ludovicus Petronius Min. Con. Vic. Gen. S. Off. Flor.

Robertus Pandofinius Senat. Sereniſſimi M. Ducis Aud.

2550390 A

B.12.6.183
B.N.C.F
Digitized by Google